MASTER
NEGATIVE
NO. 91-80230-3

AUTHOR:

SCHONDORFFER, OTTO

TITLE:

DE GENUINA CATONIS

PLACE:

REGIMONTI

DATE:

1885

Master Negative #

91-80230-3

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

87C31
DZ6 Schöndörffer, Otto, 1860-
De genuina Catonis De agricultura libri forma; part. I. De syntaxi Catonis. Dissertatio inauguralis quam... publice defendet auctor Otto Schoendoerffer... Regimonti, ex officina Hartungiana, 1885.
88 p. 30½ cm.

Thesis, Königsberg, 1885.

376958

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35 mm REDUCTION RATIO: 11x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 9/10/91 INITIALS RK
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT





AIIM

Association for Information and Image Management


1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202














MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

DE GENUINA CATONIS DE AGRICULTURA LIBRI FORMA.

PART. I. DE SYNTAXI CATONIS.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE ALBERTINA

REGIMONTANA

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

DIE XXXI MENS. OCTOBR. MDCCCLXXXV

HORA XII

UNA CUM THESIBUS ADIECTIS

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

OTTO SCHOENDOERFFER

LABIAUENSIS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:

ALFRED DOEHRING, PRAECEPTOR GYMN. FRIDERICIANI.

WALTHER PRELLWITZ, DR. PHIL.

REGIMONTI.

EX OFFICINA HARTUNGIANA.

MDCCCLXXXV.

HENRICO JORDAN.

Antiquissimum testimonium sermonis latini soluti, quod ad aetatem nostram pervenit M. Porci Catonis Censori liber de agriculatura[1]) est. Quod scriptum et ob antiquitatem et ob virum ipsum, qui id confecit, gravissimum nobis esse ad temporum illorum et condicionem et sermonem cognoscendum, disertius explicare non mihi opus sit. Neque tamen eo quasi fundamento, in quo ceterum aedificium positum sit, adhuc uti possumus, quod minime viri docti de hoc scripto consentiunt. Vulgaris quidem ea hodie est sententia, eum librum quem nos nunc habemus, vix Catonis librum nominari posse, cum sermo plane mutatus, ordo foede turbatus, multa omissa, alia adiecta sint. Ac primus quidem omnium Gesnerus scriptt. r. r. praef. p. I. sqq. id demonstrare conatus est, eumque Schneiderus, Bernhardius, Baehrius, Teuffelius, Keilius, alii secuti sunt. Quibus omnibus solus, quod quidem ego sciam, Reinholdus Klotz obstitit, qui in commentariolo, cui inscribitur. „Ueber die ursprüngliche Gestalt von M. Porcius Catos Schrift De re rustica. Ein Beitrag zur lateinischen Literaturgeschichte.“ Fleckeisen ann. phil. suppl. X a 1884. locis Catonis nomine ab aliis scriptoribus laudatis cum eius libro comparatis docere studuit „dass Catos Schrift sicherlich im Wesentlichen unverändert auf uns

1) Sic a Keilio novissimo libri editore ei inscriptum est.

gekommen sei." Praeterea eandem sententiam per occasionem dixerunt Henricus Jordan[1]) et Ludovicus Dietze[2]). Postquam igitur nunc demum Keilii nova libri editione[3]) certum fundamentum adepti sumus, de quo solum quaestio illa quam supra posui solvi possit, denuo eam accuratius examinare propositum habeo.

In tres partes totam materiem divisi:

I. De sermone.
II. De locis ex Catonis libro ab aliis scriptoribus petitis.
III. De rebus earumque conexu.

quarum nunc primam solam tractaturus sum.

De sermone.

Keilius Observ. critic.[4]) p. 67 haec dicit: De dicendi autem genere (in libro Catonis) ut hoc quidem vix quemquam repetiturum esse credo, tenuem hanc et ieiunam orationem talis scriptoris ingenio indignam esse, ita de antiqua Catonis elocutione multum perisse persuasum habeo. Quamquam enim complura in hoc genere rectius e codicibus constitui possunt, id quod vereor ne incommode accidat ei qui nihil omnino quod dici a Catone non potuerit hunc librum qualis nunc est habere asseveravit, tamen multum abest ut in eam formam oratio restituatur, quae aut universae aetatis indoli aut Catonis rationi, quam Originum fragmenta grammaticorum commentariis servata nobis praebent, aliquo modo conveniat. Quo de loco si uberius exponere mihi propositum esset, fieri potuisse confido, ut aliquantum ab hac parte hunc librum a reliquis Catonis libris discrepare demonstrarem. Nunc hoc unum quod omnium maxime apertum est moneo, prisca verba et priscas verborum formas in iis quae a grammaticis servata sunt, etiamsi ab iis, quae hoc ipso consilio, ut antiquioris aevi consuetudo notaretur ascripserunt discedimus, multo frequentius deprehendi, quam in hoc libro. Quae res nescio quomodo acciderit, nisi magnam mutationem, qua priscae linguae color detraheretur, liber expertus esset. An casu factum esse dicemus, quod, cum in iis quae latini grammatici, quibus non esse corruptius scriptorum genus constat, servaverunt, plurima antiquae dictionis vestigia relicta sint, paucissima in hoc de agricultura libro restant?" Jam intellegis, quanti momenti sit sermonis diligens et accurata examinatio ad quaestionem nostram diiudicandam. Si enim revera multa toto libro deprehenduntur, quae abhorreant ab illius aetatis sermone, sive formae sive vocabula sive sententiarum structarae atque nexus, totum librum, non sermonem solum, mutatum esse apparet; si autem nonnullis tantum locis talia occurrunt, eos interpolatos esse probabile est. Contra si demonstrari potest, sermonem omnino non esse mutatum, iam multo cautius de tota quaestione iudicandum est.

At ceterorum Catonis scriptorum reliquias solas in comparationem vocare, ut commendat Keilius l. c., minime mea quidem sententia sufficit, ac quidem de duabus potissimum causis: ob earum exiguitatem scriptorumque diversitatem. Nihil enim diversius cogitari posse contendam, quam Catonis hic de agricultura liber eiusque cetera scripta. Qua de re cum saepius dicturus sim, nunc ut quid sentiam ilico intellegas, deliberes quaeso, nostris temporibus quantum intersit quod ad linguam attineat inter libros de rebus gestis compositos et librum artis coquendi praecepta continentem. Nihilominus ceterorum scriptorum fragmenta ante omnia comparanda esse in

[1]) Hermes XV. p. 13.

[2]) Dietze. De sermone Catoniano. Tanglimi 1870.

[3]) M. Porci Catonis. De agricultura liber. rec. Henricus Keil. Lips. 1882.

[4]) Observationes criticae in Catonis et Varronis de re rustica libros. Scripsit Henricus Keil. Halle 1869.

promptu manifestumque est. Qnodsi igitur ea laudata non invenies, nihil ad comparationem idoneum in iis inesse persuasum habeas. Praeterea omnia illius aetatis scripta nobis servata ut scilicet potui adhibui.

In has tres partes materiem divisi:

A. De vocabulis eorumque scriptura

B. De formis.

C. De syntaxi.

Agam hoc loco tantum de syntaxi, et quod ex ea clarissime cognoscitur quae demonstrare studui, et quod de formis Ludovicus Dietze l. l. minime quidem plene ac diserte disseruit.

De syntaxi.

Non propositum habeo syntaxim Catonianam conscribere. Et hoc alienum est a quaestione nostra, et multa mihi tum commemoratione indigna et pervulgata repetenda essent. Domonstrare opus est, syntaxim quoque ut verba et formas optime in Catonianae aetatis sermonem convenire. Venia igitur mihi sit, si certus interdum ordo desideretur.

A. De casibus.

Liceat mihi primum de subiecti et praedicati congruentia agere. Ponitur vulgo, ut pernotum est, si complura sunt subiecta quae aut particulis et aut vel aliis coniuncta aut sine coniunctione posita sunt, pluralis veıbi. Itaque fit ut κατὰ σύνεσιν, ut dicitur, pluralis verbi ponatur, ubi grammatices regulae singularem postulant. Quae omnia longiore explicatione non egent. Sic in Catonis fragmentis haec invenies[1]) 23,14 : siquis advorsus rem suam quid fieri arbitrantur, summa vi contra nititur. 62,3 : siquis quid alter ab altero peterent. 19,16 : omnis Graecia gloriam . . . decoravere. 62,6 : nunc

[1]) Locos e Catonis libro laudatos secundum Keilii editionem affero. Numeri paginas et versus significant.

si sponsionem fecissent Gellius cum Turio. 23,7 : atque haut scio an partim eorum fuerint, qui . . . noluerint. Cum igitur hic saepius pluralem usurpatum inveniamus ubi secundum posteriorum temporum praecepta singularem exspectamus, in libro de re rustica e contrario saepius singularem pro plurali offendimus, ut : 19,8 : sicubi in iis locis ripae aut locus umectus erit. 29,10 Robus materies item ridica ubi solstitium fuerit ad brumam semper tempestiva est. 39,9 : vimina matura, salix per tempus legatur. 50,9 : ubi vindemia et oleitas facta erit. 60,6 : bosque ipsus et qui dabit sublimiter stet. 64,1 : eam rem divinam vel servus vel liber licebit faciat. 94,5. siquid emptor aut pastores aut pecus emptoris domino damni dederit. 94,9 : siquid domimus aut pecus emptori damni dederit.

In rationibus talia multo minus offensioni sunt, cum in iis ut nunc ita Catonis temporibus grammatices severae regulae plane neglegantur. Ut : 91,9: accessiones : in M̂. ∞ CC accedit oleae salsae M̊. V. 91,19 : si sumpserit, in singulas sumptiones SS. N. XL deducentur neque debebitur. Non referimus scilicet verbum ad singulos modios ant nummos, sed ad totam summam quae iis efficitur. Unum exstat exemplum in hoc libro, in quo singularis verbi ad pluralem et masculinum ad neutrum refertur. Insertum quidem est alium enuntiatum, nihilominus res notanda est. Haec dico: 69,5: „item ahenea omnia unguito sed prius extergeto bene. postea cum unxeris cum uti voles extergeto. splendidior erit et aerugo non erit molestus.“ Huc hoc quoque exemplum pertinet: 17,24: „aratra vomeresque facito uti bonos habeas.“ Vulgaria praecepta his tantum locis observata sunt: 34,8: ne cupa et clavus conterantur. 60,1: bosque ipsus et qui dabit facito ut uterque sublimiter stent. 94,8: pecus et familia, quae illic erit, pigneri sunto. Jis, quae supra posui similia exempla haec tantum repperi, quae Holtzius

affert II, p. 196: Ter. Hec prol. v. 2 novom intervenit vitiom et calamitas Adelph. 340: Tua fama et gnatae vita in dubium veniet. ibid. 470: persuasit nox amor vinum adulescentia. ibid. 835: ne nimium modo Bonae tuae istae nos rationes Micco, et tuos iste animus aequos subvertat.

Talia neglegentiae cuidam scriptoris deberi, et ipse censeo. Quamquam enim permultum abest ut cum Holtzio consentiam qui l. l. I p. 28 ita de Catonis libro iudicat: „hic liber ita videtur conscriptus esse a Catone, ut non expertus sit ultimam quasi manum emendatricem, sed ut multa celeriter sibi adnotaret tantum quae postea secundum grammaticae praecepta severiora vellet emendare,“ tamen neglegentiam quandam eiusmodi rebus indicari censeam. Neglegentia vix id quod dico potest nominari, cum et res de quibus in libro agitur minime postularent orationem secundum severa grammaticae praecepta elaboratam, et Catonem ipsum librum ita elaboratum componere noluisse appareat.

Id quod Holtzium ut ita de libro sentiret adduxit hoc est. p. 22,10 est: quo modo oletum agri iugera CCXL instruere oporteat. vilicum vilicam . . . . opilionem I summa homines XIII. Atque similiter 24,7[1]). Adnotat Holtzius: „Hoc loco nominativus „summa“ interiectus est accusativis qui antecedunt et sequuntur ut enuntiationem quasi per se efficiat ita ut animo scriptoris sit observatum esse videatur.“ Quid autem hic mirum est? Neglegentiam non admissam esse apparet. Semper „summa“ in rationibus sic absolute usurpatur.

Multo etiam liberius quod attinet ad congruentiam illam neutra pronominum ab Catone usurpata invenimus. 18,4: scabiem pecori et iumentis caveto, id ex fame et si inpluit fieri solet. 18,18: idem ager si nebulosus est,

[1]) Exemplum quod affert ex capite XVII delendum est, quod falsa utitur lectione.

rapa, raphanos, milium, panicum, id maxime seri oportet. 22,7. prata inrigiva, si aquam habebis, id potissimum facito. 37,5. eos (sc. vinaceos.) conculcato in dolia picata vel in lacum picatum. id bene iubeto oblini. 63,5: Erneum sic facito tamquam placentam. eadem omnia indito quae in placentam. id permisceto in alveo, id indito in irneam. 63,14: farris L. III. et lardi P. IIII. S. et pulpae P. IIII. S. vini S. III., id in unum vas liceto coicere. Similiter: 64,13. 65,8. 9. 66,11. 78,3. 14.

91,1: qui oleam legerit, qui deportarit in singulas deportationes SS. N. II. deducentur neque id debebitur.

37,7: erit lora familiae, quod bibat.

Conferas cum iis Pl. Trin. 402: „Minus quindecim dies sunt, quom pro hisce aedibus Minas quadraginta accepisti a Callicle. Quid factumst eo?“ Ad quem versum Brixius haec adnotat: Es ist Gebrauch der Volkssprache nach Angabe einer Geldsumme im Plural pronominale Beziehungen darauf kollektivisch im Neutr. sgl. zu geben. Qua in re quanto longius Cato processerit, cognoscas quaeso. Apud Plautum item multa quae sunt cotidiani sermonis deprehenduntur, sed tamen permultum intercedit inter Plauti et Cotonis sermonem, quem in libro de r. r. invenimus. Cum enim Plautum summa cum diligentia multoque labore orationem tractavisse appareat, quin Cato ita non fecerit non debet dubitari. Itaque vel eiusmodi locum ut 46,3: „inde laterculos facito, coquito in fornace eum conterito idque inducito“ integrum esse puto neque coniecturis egere nec Popmae qui tum pro eum nec Keilii qui eos ponere volunt.

De accusativo.

Supervacaneum est fusius disserere de accusativo mensurae aut temporis aut de accusativo post verba adiuvare, caelare, consulere, piget, cavere, animum advertere. Agam in hoc capite primum de accusativo absoluto, deinde

de accusativo cum infinitivo, denique de accusativi attractione et de accusativo graeco, qui vocatur.

a) De accusativo absoluto.

Reisigius Latein. Gr. ait p. 682: „Der eigentliche Accus. abs. ist derjenige, welcher mit keinem bestimmten einzelnen Worte in grammatischer Construction steht, sondern vielmehr mit dem ganzen Satze in Verbindung gesetzt ist, in dem Sinne, dass durch ihn angekündigt wird, der folgende Satz solle in Beziehung auf diesen Gegenstand gesagt sein. Die Römer haben dieses so angewendet, dass nach einem solchen Accus. noch ein Relativsatz folgt, und zwar worin das Pron. rel. auch im Accus. steht. . . . Daraus sieht man, dass eine gewisse Attraktion mitgewirkt hat.“ Jure Haaseus ad ea Reisigii verba ad notat: „Es geht hieraus also hervor, dass es kein acc. absol. ist, wie es denn einen solchen überhaupt nicht giebt, auch nicht im Griechischen. . . . Der hier vorliegende Fall hat seinen Grund in einer gewissen kunstlosen, ich möchte sagen kindlichen Redeweise, wo der Sprechende nicht im Stande oder nicht geneigt ist, den Bau des ganzen Satzes im Voraus zu berechnen, weshalb er das als Hauptsache voraufgestellte Nomen an das Verbum anschliesst, das ihm zunächst im Sinne liegt.“ In exemplis quae tum affert ubique pronomen relativum priorem accusativum sequitur. In Catonis libro cum nonnulla exempla inveniantur, ubi id non fit, Haaseus, quamquam originem usus accusativi absoluti praeclare eius adnotatione exponi puto, artius fines constituisse videtur. Credo enim nonnumquam certum aliquod verbum animo scriptoris non obversatum fuisse, sed ideo eum accusativum posuisse, quod hoc casu exprimitur, quamlibet actionem in ea re apparere. Ita explicandum esse censeo accusativum in enumerationibus ut 22,10: Quomodo oletum agri iugera CCXI instruere oporteat: vilicum, vilicam, operarios quinque, bubulcos III, asinarium I, subulcum I, opilionem I summa homines XIII. etc. Item 24,6 sqq. Ac ne quis credat accusativos ita explicandos esse, ut supplenda sint: oportet habere, ut putat Holtzius, haec conferat: 26,5: In torcularium quae opus sunt. vasis quinis prela temperata V, supervacanea III, suculas V etc. Idem est 26,11 sqq. 27,5 sqq. Huc pertinet quoque quod est 83,9: Romae tunicas, togas sagas, centones, sculponeas, Calibus et Minturnis cuculiones etc. Item vix dici possit, quod verbum supplendum sit his locis: 79,15: Habitationem delutare. terram quam maxime cretosam vel rubricosam eo amurcam infundito, paleas indito. 34,11: cupam qui concinnet et modiolos qui indat et plumbet, operas fabri dumtaxat VIII. 29,3: sesquipedalem parietem: dominus fundamenta faciat et ad opus praebeat calces in P singulos longitudinem modium unum, harenae modios duos.[1]) Facilius iam quid sit subintellegendum hisce locis cognoscitur: 21,1: pira volaema, aniciana . . . item alia genera quam plurima serito aut inserito. oleas orcites, posias: eae optime conduntur vel virides vel etc.[2]) 43,5. Stercus unde facias. stramenta, lupinum, paleas, fabalia, acus, frondem iligneam querneam. 20,10: quas suspendas duracinas aminnias maiores, vel ad fabrum ferrarium pro passis eae recte servantur. 50,5: Seminarium ad hunc modum facito. Locum quam optimum et apertissimum et stercorosissimum poteris et quam simillimum genus terrae eae, ubi semina positurus eris, et uti ne nimis longe semina ex seminario ferantur, eum locum bipalio vortito.

Neque obliviscendum est, quod genus scripti liber Catonis sit. In alio libro vix eiusmodi res invenientur. Quam brevissime necessaria Cato afferre studuit. Conferas

1) Sic enim post parietem distinguendum esse puto.

2) Quo iure Holtzius l. l. I p. 220 hic de accusativo graeco dicere possit, nescio.

cum illis exemplum Pl. Rud. IV, 3,23: Vidulum istum quoius est novi ego hominem. Iterum Holtzius l. l. I p. 221 hunc accusativum graecum nominat. Nominet sane, quod in lingua graeca accusativus casus ita crebro usurpatur, sed minime hic casus usus abhorret ab ea notione, quae ei in lingua latina inest, ac minime hic casus usus ex lingua graeca in linguam latinam translatus est. Item accusativum graecum Holtzius his locis deprehendisse sibi videtur: 29,4: et ad opus praebeat calcis in P. singulos longitudinem modium unum.[1]) Prius id commemoratum volo, minime certam hic esse lectionem. Traditum est: sesquipedalem parietem dominus fundamentum faciat et ad opus praebeat calcis in P. singulos longitudinem opus est modium unum. Quae cum sic stare non posse appareat, Keilius verba opus est uncis inclusit. Sed etiam ita locum non sanum esse persuasum habeo, quod Holtzii accusativi explicatio mea quidem sententia recta esse non potest, et accusativum omnino non posse explicari censeo. Deinde 77,2: Cetera item condito ita uti supra scriptum est „quod Schneiderus ita explicat: i. e. quod reliqua condimenta attinet."[2]) Recta est Schneideri explicatio. Sed aliter hic accusativus usurpatus est quam his locis: 14,14: lacuna nihil opus erit. 21,12: sub urbe hortum omne genus.? Reisigius hunc accusativum p. 684 nominat attributiven Accusativ, et saepe ei inest plane attributiva vis ut: 22,10: Quomodo oletum agri iugera CCXL instruere oporteat. (Wie man einen Oelberg und zwar (einen von) 240 Morgen Landes ausstatten muss.) 67,9: postea amurcam cum aqua conmisceto aequas partes.

---

[1]) Ad quem locum ille l. l. I p. 270 adnotat: Schneiderus mavult scribi longitudini quod in nonnullis editionibus legitur, sed retineri potest longitudinem ita ut accipiatur pro accusativo graeco.

[2]) cf. Holtze l. l. Praeterea cf. Enn. Ann. v. 57 (ed Vahlen): cetera quos peperisti. Ne cures. Pl. Mil. gl. 927 (ed Brix) quiescas cetera.

78,3: id mane ieiunus sumito cyatum. 78,7: et postea id utito vini cyatum. Contra 35,9: „oleum dato in menses uni cuique S. I. salis uni cuique in anno modium satis est" verbum dari et 59,9: „tum cummim indito, postea linito. si recte leveris cummim P IIII satis erit" verbum indi aut indere supplenda esse puto.

Transeamus nunc ad attractionem aut potius transpositionem accusativi ex enuntiato secundario in enuntiatum primarium.

b) De accusativi attractione.

17,21: prius villam videat clausa uti siet. 17,24: aratra vomeresque facito uti bonos habeas. 17,16: opus rusticum omne curet uti sciat facere. 34,16: orbes cavere oportet nequid mortarium terant. 35,15: fac ad vindemiam quae opus sunt parentur. 39,13: vectes iligneos, acrufolios, laureos ulmeos facito uti sient parati. 40,14. Vineam sic facito uti curetur. 44,15 ignem caveto ne intermittas. 48,4: eos surculos facito sint longi pedes binos. 72,10: Vinum si voles experiri duraturum sit necne. 89,15: cibum tibi et familiae curet uti coctum habeat. Conferenda sunt: frgm. 35,1: Interea unamquamque turmam, manipulam, cohortem temptabam quid facere possent. Pl. Poen. 453: Sex agnos immolavi nec potui tamen Propitium Venerem facere ut tandem esset mihi.[1]) Quam structuram tam saepe occurrere in libro de re rustica inde est explicandum, quod ubique in eo id vocabulum de quo agitur initio enuntiati ponitur, ut celeriter perspiciatur, quae res tractetur. Conferas collocationem verborum in his locis: 12,1: Praedium quom parare cogitabis, sic in animo habeto; aut 43,5 Stercus unde facias; aut 69,1: Vestimenta ne tiniae tangant; aut 85,10: Politionem quo pacto dari oporteat; aut 106,5: Luxum si quod est. Atque

---

[1]) cf. Most. v. 389. Satin habes, si ego advenientem ita patrem faciam tuom non modo ne intro eat.

ita per totum librum. Animadvertas autem quam constanter haec structura, quae vel posteriore aetate satis raro exstabat, servata sit.

c) De accusativo cum infinitivo.

Sequitur ut de accusativo cum infinitivo agamus. Eum non modo post verba sentiendi et declaranda et opus est, oportet, convenit (20,5) expedit (15,8), sed etiam, quod est insolentius, post tempus est (41,2.)[1]), sat est (67,11) non est nimium (55,4) positum esse, commemorasse sufficiat. Seorsum noto, verbo imperare 87,5 accusativum cum infinitivo adiunctum esse: impera suovitaurilia circamagi. Apud prisos auctores id non inveni nisi apud Terentium Eun. 252: postremo imperavi egomet mihi Omnia adsentari. et apud Lucretium V,672: Nec minus in certo dentes cadere imperat aetas Tempore.

Id quod maxime mihi notabile in accusativi cum infinitivo usu videtur accusativi est collocatio, quam in nonnullis exemplis offendimus. Ex qua intellegitur tum accusativum nondum ut subiectum infinitivi sed ut obiectum verbi regentis cogitatum esse: 105,4: cito te intelleges plus audire. 16,9: familiam ne siveris peccare. frgm. 27,4: ego me nunc volo ius pontificium optime scire.

Relinquitur ut accusativum in temporis notionibus commemorem, quibus non perpetuitas sed unum tantum punctum temporis exprimitur. Haec dico: 29,13: ea quae semen viride et maturum habet (id semen de cupresso, de pino quidvis anni legere possis) item quidvis anni matura est et tempestiva. Conferas: Amph. 154 qui hoc noctis solus ambulem. ibid. 163b qui hoc noctis A porte med ingratiis excitavit. cf ibid. 310. Curc. 1. Asin. I, 1. 56. Ter. Heaut. 110.

---

[1]) cf. Andr. 631: tempust promissa iam perfici.

De genetivo.

Non multum de huius casus usu in Catonis libro dicendum est. Genetivum poni post studiosus (11,11.) plenus (63,7) aut verbum condemnare (11,11) vix commemoratione dignum sit. Item quod verbum implere cum genetivo coniungitur[1]) ex Plauti comoediis pernotum est.[2]) Similis quod apud comicos semper cum genetivo poni Ritschelius Opusc. phil. II p. 572 demonstravit, apud Catonem cum dativo coniunctum reperimus 50,6: quam simillimum genus terrae eae, ubi semina positurus eris. Sed conferas Enn. Sat. v. 45 (ed. Vahlen) Simia quam similis turpissima bestia nobis. Item ne moremur in usu genetivi qualitatis disserendo. Digna sit commemoratione frequentissima genetivi partitivi qui vocatur usurpatio. Non enim einsmodi vulgaria exstant ut quid operis (13,11. cf. 13,13. 30,19. 36,17. 41,7. 55,3. 58,18. 90,16. 94,9. 98,15. 99,9. 100,1. 101,11. 102,1.) damni nihil (15,14 cf. 101,19.) fructi plus (16,8 cf. 57,9) oneris satis (31,12. cf. 75,9.) oleae quam plurimum (55,6 cf. 55,7. 16. 57,10. 72,2. 77,2 (bis.) 98,16. 99,10. frgm. 78,5 multum somni), sed etiam haec insolentiora: 45,5 hoc signi erit. 65,16 id signi erit. Denique non praetermitto 13,10 postridie eius diei, ubi non ut dicit Handius Turs. IV p. 511 genetivus e vocabulo tantum die pendet, sed e toto vocabulo postridie ut id quasi ablativus unius sit substantivi, cui vis inest der folgende Tag.[3])

Sic igitur genetivi usus nihil quod sit insolentius praebet. Aliter res se habet quod ad dativum attinet, ad quem nunc venimus.

---

[1]) 65,13 amphoram inpleto aquae purae. 96,9, eas faecis inpleto.
[2]) cf. Brix ad Men. 901.
[3]) cf. Kuehner Latein. Gramm. I § 231. Anm, 1.

De dativo.

Licat mihi primum vulgaria affere, quae nulla explicatione egeant ut esse cum dativo: 15,9: et rei et virtuti et gloriae erit[1]), aut cum dativo personae 103,15 quibus oculi parum clari sunt.[2]), deinde opsequi alicui 89,15. bonum esse alicui 16,9. male esse alicui 16,17. antistare alicui 97, 3. dicto audientem esse alicui 89,2. auscultare alicui 17,18. Insolens antem atque notatu dignior usus dativi commodi liber et valde frequens est. Exstat saepe pro praepositione cum casu ut 28,2 hae rei materiem . . . dominus praebebit pro: materiem ad hanc rem, quae ad hanc rem opus est. Post substantivum haec reperiuntur: satui semen 17,9. pabulum ovibus 18,12. aminnium minusculum vino (?) 20,8. opercula doliis seriis priva 23,13. ornamenta bubus 25,9. ornamenta asinis 25,10. centones pueris 26,4. praesepis bubus 27,15. 28,2 huic operi pretium. 28,7. bona familiae 37,7. cetera lex uti villae ex calce caementis 28,15 (cf 93,8. 18.) familiae cibaria 54,13. vinum familiae 54,17. pulmentarium familiae 55,6. vestimenta familiae 55,11. bubus cibaria 55,14. bubus medicamentum 59,11. dies argento 92,14. cetera lex quae oleae pendenti 93,8. 18. intertrigini remedium 106,3.[3]) Item post sudstantivum cum adiectivo coniunctum: 37,13. ei rei optimum tempus. 19,16. qui locus vino optimus dicetur esse. aut post adiectivum solum: 38,13: id erit ei rei primum; post verbum cum substantivo coniunctum: 19,7: frondem ovibus et iumentis habere 30,18: ibi foramen pedicinis duobus facito. 32,9: unae fibulae locum facito. 44,19: tum fornaci locum facito. 37,1: facito uti (vinum) servetur familiae primum suisque 37,4: cribrum illi rei

[1]) cf. pignori esse 92,19. 93,3. 94,9. 20. et frgm. 22,2 37,20.

[2]) cf. frgm. 55,9. 74, 7.

[3]) Omissa sunt: 30,11: pavimentum binis vasis. 30,12: trapetibus locum. 30,13: vectibus locum. 38,1: pabulum bubus. 38,3: scrobis in vervacto oleis, ulmis, vitibus, ficis.

parato. 37,10: privasque scopulas in dolia facito habeas illi rei. 54,11 ligna domino in tabulato condito. 44,8: codicillos domino in acervum conpone. 46,8: seminariis vitiariis locum verti 49,1: vitibus sulcos... facito. 55,16: praeterea granatui (?) videto uti satis viciae seras. 58,7: cotidie oleo locum conmutet. 93,7. 17: locus vinis dabitur. 94,1: vel diem certam utrique facito. 96,9: fiscinas olearias campanicas duas illae rei habeto. 96,12: labrum culleare illae rei facito; denique post verbum solum: amicos domini eos habeat sibi amicos 17,6. quae tibi usioni supererant 45,10. hortus nequam erit et ferundo arbor peribit 19,6. (für das Früchtetragen wird der Baum untauglich werden.) 67,14: Fici uti grossos teneant facito omnia quomodo oleae. His exemplis ea subiungo, in quibus dativus gerundivi exstat: 19,2: ager oleto conserundo. 56,10: tempus oleae serendae. Seorsum ea attuli, quod gerundio vim participii futuri passivi id est notionem finalem inesse vulgo putatur. Quod falsum esse postea exponam. His quoque locis consilii vis per dativum solum efficitur. — Huc denique refero hunc quoque locum: 28,17: loco pestilenti, ubi aestate fieri non possit, bono domino pars quarta preti accedat. Ad quem Holtzius I., p. 510: „Schneiderus: „non domino accedit sed a domino adiicitur pars quarta preti. Igitur praepositionem excidisse puto.“ Sed non opus est praepositionem adiici nam dativus positus est eodem modo quo coniunctus cum verbo passivo, pro a cum ablativo coniuncto.“ Falsissime uterque. domino est dativus commodi ita ut vertendum sit für einen guten Herrn, einem guten Herrn neque ut vult Holtzius von einem guten Herrn.

Cognovimus igitur quam frequens et varius et per totum librum aequabilis dativi usus sit in libro de r. r., cum in fragmentis nihil eiusmodi exstet et apud Plautum et Terentium tam libere crebroque dativus non usitatus sit. Tamen non dubitari debet, quin haec structura

perantiqua sit. Conferas quaeso priscas illas formulas magistratuumque nomina ut: lex parieti faciundo C. J. L. I, 557 lex censui censendo[1]), III viri coloniae deducendae. X viri stlitibus indicandis, legibus scribendis; III viri auro aere argento flando feriundo, muris turribus reficiendis, viis purgandis, sternendis. II viri iuri dicundo cet. Jordanus in libro, cui inscripsit Kritische Beiträge ex quo illa petivi, adnotat p. 286: Brachylogisch wird auch hier überall der Begriff dicti, creati = qui sunt bei der Umwandlung der für die Ernennung üblichen Formel in den Titel fortgelassen und ist, wenn man so will, elliptisch diesem hinzuzudenken. Suo iure adiecit ille vir doctus „wenn man so will". Mira enim res est haec verborum aut notionum ellipsis ut vocatur. Certe, ut exemplum afferam, in verbis: pabulum bubus vocabulum bubus non tam arte cohaeret cum voce pabulum, quam exempli gratia in verbis hortus patris vox patris cum voce hortus, id est in dativo non tam finalis notio inest, quam in genetivo notio originis vel possessionis. Num autem putabimus Romanos cum dicerent pabulum bubus mente semper supplevisse: pabulum quod est bubus? Minime vero. De ellipsi igitur vix dici debet.

Quodsi autem quaeritur, qui factum sit, ut in hoc ipso Catonis libro hic dativi usus tam saepe inveniatur, hoc respondendum mihi videtur esse. Brevitatis et perspicuitatis causa usus ille ortus est, summa autem brevitas summaque in singulis rebus perspicuitas ut in libro suo insit, id praecipue Catonen operam dedisse apparet.

Proxime ad hunc dativum commodi accedit dativus qui ethicus vulgo vocatur, quem et ipsum haud raro apud Catonem offendimus, ut: 47,2: postea capito tibi surculum 70,15: hoc vinum durabit tibi usque ad solsti-

[1]) cf. Mommsen Staatsrecht II² p. 360.

tium 82,4: calicem pertusum sumito tibi. 105,6: si vis bene tibi (alvum) deicere. 105,7: sume tibi ollam. 105,14: sume tibi sextarium. 106,6: harundinem prende tibi viridem. Atque huc potius referendum sit 17,6: amicos domini eos habeat sibi amicos. 48,2: facito iis medullam cum medulla coniungas.

Vulgaris maxime sermonis hic dativi usus proprius videtur esse, qui etiam apud Plautum et Terentium crebro invenitur.[1])

Dativum qui pendet e verbo cavere 18,14: „scabiem pecori et iumentis caveto" item dativum commodi esse censeo.

Quod denique attinet ad verba cum praepositionibus composita hoc est notandum post ea, ac praecipue quidem si in eorum significatione vis praepositionis servata est, multo saepius praepositionem iterari aut aliam pro ea usurpari quam dativum poni et in libro de re rustica et in ceterorum scriptorum fragmentis.

Separatim agendum est de constructione verbi circumdare. Exempla prius affero: 47,11. postea stramentis (linguam bubulam) circumdato. 75,11: et cinerem veterem et duas partes terrae circumdato radices vitis. 75,11: eas radices dato circum vitem. 104,1: circum vestimenta eam dato.

In ultimo exemplo vestimenta obiectum est. circum igitur a verbo dare separatum est et verbo circumdare duplex accusativus adiunctus est ut 75,11: et cinerem veterem et duas partes terrae circumdato radices vites. Qui autem haec constructio explicanda est? eodem modo ut duplex accusativus post verba transitiva cum praepositione trans composita. Pendet secundus accusativus e praepositione, eam autem tamen non iam ut meram praepositionem sensam esse vel cum a verbo derimeretur

[1]) cf. Schlueter De accusativo et dativo Terentiano (1873.) p. 37.

ex verborum collocatione apparet, quae est 104,1 circum vestimenta eam dato. cf. praeterea: Lucr. I, 81: infula virgineos circumdato comptus. Caes. b. c. III, 61: quos Pompeius . . . . omnia sua praesidia circumduxit atque ostentavit.

De ablativo.

Non ita multa quae a posteriore huius casus usu aliena sint in Catonis libro offenduntur. Cum eum ex casu ablativo genuino, locali, instrumentali confusum esse inter omnes constet[1]), secundum eos materiem divisi.

1. De ablativo genuino.

Ablativus genuinus aut purus exprimit locum unde actio aliqua proficiscitur. Huc igitur pertinent: 16,15 alieno manum abstineat. 17,1: facilius (familiam) malo et alieno prohibebit. 16,15 litibus familia supersedeat.[2]) 17,20: cubitu surgat.[3]) 93,21: prato sicco decedat (cf. 94,1). 96.1 quam tenerrimis herbis, et quotiens opus erit, purges. frgm. 41,5. bono genere gnatis (cf. 42,1.) frgm. 60,4. ecquis . . . publicis negotiis repulsior?

Deinde huc pertinent nomina urbium. Cum ad ea apud Plautum saepe praepositiones accedant[4]), Cato iam regulas quas apud classicos invenimus sequitur. cf. Venafro 83.11. Casino 84,3. Troiâ frgm. 15,5.

---

[1]) cf. Delbrueck Ablativ, Localis, Instrumentalis im Altindischen, Lateinischen, Griechischen und Deutschen. Berl. 1867.

et Ebrard. De Ablativi, Locativi, Instrumentalis apud priscos scriptores latinos usu. Fleckeisen Ann. 1879 Suppl. X p. 583 399.

[2]) cf. Pl. Pom. 414: supersede istis verbis. Epid. 39. supersede istis rebus iam

[3]) cf. Pl. Men. 279 quam ego opsonatu redeo. ibid. 289. Cas. III, 5. 66.

[4]) cf. Kampmann. De in praepositionis usu Plautino (Bresl. 1845.) p. 11. sqq. et p. 26. sqq. Brix ad Trin. v. 112. Spengel ad Andr. v. 70.

Tum huc ablativus comparationis ut vocatur referendus est[1]), quae exstat 16,9. 17,13. 38,13,

Denique in hoc capite de ablativo absoluto disseram, cum Bombeus in dissertatione cui inscribitur. „De ablativi absoluti apud antiquissimos Romanorum scriptores usu" (Greifswald 1877.) demonstrasse sibi visus sit in constructione, quae vocatur ablativus absolutus, ablativo primigeniam suam notionem inesse neque ut putavit Delbrueckius localem.[2]) Quod Bombius nonnulla exempla omisit, ea enumerare operae pretium sit:

1) Ablativus cum participio perfecti:

37,8: Vindemia facta vasa torcula . . iubeto . . oblini.

81,8: postea dape facta serito milium.

frgm. 26,4: Postridie signis conlatis aequo fronte . . pugnavimus.

frgm. 40,1: decem hominibus vitam eripis indicta causa.

frgm. 70,1: ut populus sua opera potius . . . . supplicatum eat, quam re male gesta coronatus veneat.

2) Ablativus cum participio praesentis:

17,13: nequid emisse velit insciente domino.

39,2. evehito luna silenti cf. 51,21. 46,11.

39,16: luna decrescente eximito.

80,13: piro florente dapem pro bubus facito.

frgm. 41,6: insignitas iniurias . . . inspectantibus popularibus suis . . te facere ausum esse.

---

[1]) cf. Delbrueck l. l. p. 19.

[2]) Vana esse opera mihi quidem videtur, exquirere velle, quae vis primitus ablativo in ablativi absoluti constructione infuerit, cum eam in latina quidem lingua tum demum deprehendamus, cum tres illi casus iam diu in unum confusi, erant. Inde igitur quod apud prisos scriptores in plurimis exemplis ablativus genuinam suam notionem habet, effici non potest, ut effecit Bombeus, primitus eam notionem omnibus infuisse ablativis absolutis, cum et apud eosdem priscos auctores ablativi absoluti reperiantur, qui sociativam vim habeant et apud omnes scriptores latinos item ut apud antiquissimos ei creberrime exstent, quibus genuina ablativi notio insit.

3) Ablativus cum adiectivo:

44,1. nisi intermestri lunaque dimidiata.

56,9: siquis quaeret, quod tempus oleae serendae siet, agro sicco per sementim, agro laeto per ver.

73,13: aquam ex alto marinam sumito, mari tranquillo.

frgm. 21,8: Scio solere plerisque hominibus rebus secundis atque prolixis atque prosperis animum excellere.

4) Ablativus cum substantivo.

40,3. vento austro caveto nequam materiem . . . tractes.

frg. 66,5: C. Licinio praetore.

Ad hos locos:

82,14; Jane pater te hac strue ommovenda bonas preces precor (cf. 82,17. 83,1. 86,14).

87,1: macte hoc porco piaculo immolando esto (cf. 81,4. 5. 87,1. 18. 88,5).

adnotat Bombius p. 30: In his precationis formulis ablativum absolutum statuere probabile mihi non videtur, cum aliae se offerant explicationes. Primum enim constructiones illae simplices ablativi instrumenti esse possunt, quoniam strues ommovenda preces reddit bonas efficitque deus volens atque propitius sit oranti. Tum etiam cogitari potest de ablativo modi qui saepissime in precationis formulis inveniatur." Rectissime. Apud vocabulum macte ablativo instrumentalem notionem inesse apparere arbitror, cum et vocis significatione et aliis locis hoc comprobetur. Festus. p. 125: mactus magis auctus. Priscianus V p. 183 § 66 (ed. Keil.): et invenimus per omnes fere casus composita ut iurisperitus, ... macte id est magis aucte. Et videtur re vera radix vocis esse mag-quam in vocabulis mag-nus, mag-is, mag-ister deprehendimus.[1]) Sed conferas praeterea: 81,6: macte vino inferio esto (cf. 83,2). 83,3: Juppiter macte isto ferto esto, macte vino inferio esto.

[1]) Sic audivi Jordanum interpretantem illud vocabulum in scholis.

2. De locali casu.

Terminationem huius casus primigeniam i fuisse inter omnes constat.[1]) Vestigia huius rei exstant hisce in vocabulis: ruri 16,17. domi 35,9. frgm. 47,16. 49,7. 69,6. 83,1. die proximi frgm. 50,3. 63,4. Postea huius casus munere ablativus et genetivus fungebantur. Huc igitur pertinent ante omnia urbium nomina: Suessae 83,11, 84.3. Romae 83,9. 12. 16. 84,3. Nolae 83,15. 84,1. Capuae 84,1. 2. Venafri 84,4. Casini 84,4. Pompeis 35,8. 14. 83,15. Calibus 83,9. Minturnis 83,10. Lavini frgm. 13,17. Romae fr. 15,3. Si 75,13 in Venafro et 83,12 ex Venafro offendimus id nihil praebet offensionis, cum Venafrum his locis neutrum adiectivi esse appareat. Exstitisse enim hoc adiectivum ex his sequitur locis: 85,10 in agro Casinate et Venafro 92,9: in fundo Venafro. Varr. r. r. I,2,6: oleum Venafrum. Conferas 33,5 in Suessano.

De loco huius casus usus ad tempus transfertur. Neque tamen est, quod de hoc usu commemorem.

3. De instrumentali.

Notio instrumentalis et sociativa tam arte inter sese cohaerent ut separari eae non possint, cum nunc haec nunc illa praevaleat. Longum et supervacaneum est, omnes locos quibus ablativus instrumentalis exstet enumerare. Haec tantum paulo insolentiora commemorentur:

56,6: sulco vario ne ares. 57,8. quam citissime conficies, tam maxime expediet et totidem modiis collecta plus olei efficiet et melius. 60,1. 6. vaso ligneo dato. 68,1: postea igni leni coquito. cf. 72,6. Verbo facere ablativus instrumenti adiungitur cum significationem sacrificandi habeat, ut 86,9: porco piaculo facito 86,11: uti tibi ius est porco piaculo facere 87,1: altero piaculo eodem modo facito 88,2: item cultro facito. 82,10: Priusquam messim

[1]) cf. Buecheler-Windekilde l. l. p. 116.

facias porcam praecidaneam hoc modo fieri oportet. Cereri porco femina, priusquam hasce fruges condas. Itemque praefari: 82,13: Auro vino Jano Jovi Junoni praefato. 87,9: Janum Jovemque vino praefamino. Conferas quaeso: Pl. Stich. 251: quot agnis fecerat? Illa quidem nullum sacrificavit. Enn. frag v. 61 (ed Vahlen.): Exsacrificabat hostiis balantibus. — Notus est ablativi instrumenti usus in eiusmodi dictionibus: 93,7: dominus vino quid volet faciet cf. 93,17. Plaut. Pseud. I, 1.86: Sed quid ea drachuma facere vis. Most. III, 1.106: Quid eost argento factum. Truc. IV, 3,25: quid eo fecisti puero.[1])

Ablativo post verba uti et frui posito item vis instrumentalis quin insit, nemo est, qui dubitet. Prisco autem in sermone saepius verba illa cum accusativo coniunguntur. Apud Catonem ambas constructiones mixtas invenimus ut 16,14: bona disciplina utatur 68,17: eodem in omnes quadripedes utito 58,3: vaso aheneo neque nucleis ad oleum ne utatur. 102,8: pro portione brassica si uteris. 104,11: utatur unctione 104,12: diutina valetudine utetur frgm. 16,8: multo pulmento usi 74,2: Jure lege libertate ne publica communiter uti oportet; gloria atque honore quomodo sibi quisque struxit.[2]) Accusativus his exstat locis: 77,1: Oleam albam quam secundum vindemiam uti voles. 78,7: postea id utito vini cyathum. 89,3: quomodo vilicam uti oportet. 89,7: vicinas aliasque mulieres quam minimum utatur. 102,12: haec si uteris. frgm. 73,1: siquid est, quod utar, utor; si non est, egeo. suum cuique per me uti atque frui licet. r. r. 93,21: pabulum frui occipito ex Kal. Septembribus. Item abuti: 62,1: donec omne caseum cum melle abusus eris.[3])

---

[1]) Plura exempla attulit Brix ad. Trin. v. 157.

[2]) Huc etiam pertinent enuntiata, in quibus adverbium qui pendet e verbo uti: ut 20,6: domino erit qui utatur cf. 70,11.

[3]) De horum verborum constructione Plautina cf. Brix ad Trin. v. 1.

Num ablativum post opus est etiam instrumentalem esse viri docti dubitant. Plerumque in libro de agricultura nominativum reperimus (octies decies), semel sine dubio[1]) ablativum: 91,15: si sex ingis vasis opus erit. Item in fragmentis et ablativus (82,7.) et nominativus (79,7. 8.) invenitur. Praeterea has dictiones affero: 44,14 cum cinere eruto opus erit. 14,13 quae opus sint locato locentur. frgm. 22,6: quid opus siet facto. ibid. 37,13. non opus est recitato. Participii perfecti ablativus hic pro eodem infinitivi casu positus est, ad quem substantivi accusativus attractus est.[2]) Apud Plantum Terentiumque item hanc constructionem saepius exstare docent Holtze l. l. I p. 26. Kuehner l. l. II p. 538. Draeger histor. Syntax² II,780.

Denique cognoscas ablativum qualitatis qui vocatur satis libere a Catone usurpatum esse ex hisce exemplis: 21,9: ficos tellanas atras pediculo longo. 100,7: ea (brassica) est grandis, latis foliis, caule magno. 100,11: et item est tertia, quae lenis vocatur, minutis caulibus. 100,13: de omnibus brassicis nulla est illius modi medicamento. 30,4: torcularium si aedificare voles quadrinis vasis. cf. 30,14. 65,12: amphoram defracto collo puram.

Ad ablativum modi, qui est 14,7. 17,19. 23. 28,8. 86,9. 90,11. 91,13, numquam praepositio cum accedit.

B. De particulis.

Haec hactenus de casibus; transeamus nunc ad particulas, quae sunt in libro de agricultura, examinandas. Optimo iure Henricus Jordan Krit. Beitr. p. 274 dicit: „Die beweglichsten Glieder der Sprache sind die Par-

---

[1]) Nam dubitari potest aliquotiens utrum nominativus an ablativus positus sit ut 44,14 lacuna nihil opus erit aut 35,10: opus est LX.

[2]) cf. Haase ad Reisigium adn. 275.

tikeln d. h. diejenigen Wörter, für welche die antike Theorie, ausgehend von dem Zustande der höchsten Entwickelung der Sprache die Categorien Conjunction, Präposition und Adverb festgesetzt hat. Man hat angefangen zu erkennen, wie die Functionen. welche sie kraft ihrer Bildungsform ursprünglich ausüben, im Laufe der Entwickelung des geistigen Vermögen des Volkes sich verändern; wie durch diese Veränderungen zum guten Theil die zunehmende urd dann wieder abnehmende Gelenkigkeit des syntactischen Baues der Sprache bedingt wird.“ Quod antem particularum usus temporibus tantopere mutabatur, eas accurate perquirere et ad linguam ipsam penitus cognoscendam et ad quaestionem nostram solvendam maximi momenti est. Ex iis earumque usu optime potest diiudicari num sit re vera adeo corruptus sermo Porci libri, quam affirmant viri docti.

Sed veniamus ad rem.

1. De praepositionibus.

a, ab, abs.

Primum de formis mihi disserendum est. ab longe creberrime invenitur (septies decies.) et ante verba a vocali incipientia et a consonanti; a quinquies, abs bis exstat. In volumine primo corporis i. l. ab quadragies octies, a undecies, abs numquam occurrit. In Catonis fragmentis ab sex, a undecim, abs nullo loco reperitur. Apud Plantum et veteres tragicos comicosque abs saepius offenditur.[1]) Corsseni igitur affirmatio[2]) ab antiquiorem esse formam libri nostri codicibus comprobatur. Ne autem levitatis accuser, hoc de omnibus eiusmodi quaestionibus adnoto. Nihil mea sententia ex manuscriptis solis de scripturae quaestionibus diiudicari potest. Si vero codices

1) cf. Corssen Ausspr.² I, 154.
2) ibid. I p. 155.

in ea quoque re nonnulla servasse apparuerit, eos cum inscriptionibus in comparationem vocandos esse censeo. Codicem autem A et Politiani adnotationes non paucas genuinas scripturas nobis tradere apparet. Itaque operae pretium sit, eos vel ob tales res diligenter perscrutari.

Pauca sunt quae de praepositionis usu adnotem. 27,12: villam ad aedificandam si locabis novam ab solo. Conferas C. I. L. I, 1161 fundamenta murosque af solo faciunda. Verba purgare et depurgare cum praepositione coniungi ut 57,14: purgare a foliis (cf. 95,9. 18.) vix est notabile, cum omnia verba cuiuscunque liberationis praepositionem a sibi adsciscant. Huc pertinet quoque 41,3: si vinea a vite calva erit; quocum conferas Pl. Truc. 241: nam quando sterilis est amator ab datis.

ad

Praepositiones ad et apud primitus eiusdem fuisse notionis constat. Cuius rei vestigia haud pauca in libro quoque de agricultura occurrunt.

20,10 ad fabrum ferrarium pro passis eae recte conduntur.

35,13: ii emuntur ad Rufri macerias.

83,15: trapeti Pompeis, Nolae ad Rufri maceriam.[1])

Huc quoque pertinent: 63,8 ita coquito ad ignem et: iurare ad dominum 90,10. 92,1, qua in dictione postea semper praepositionem apud offendimus.

Ad locum qui est 64,3: „mulier ad eam rem divinam ne adsit“ conferas C. I. L. I, 198,71: quo quis eorum minus ad id iudicium adesse possit.

Prope ad praepositionis apud vim etiam hisce locis ad accedit: 96,12: id habeat ad summum (oben) ansas

1) cf. Hand Turs. I p. 93 sqq. Holtze l. l. I, p. 201 qui exempla ex Plauto atque Terentio attulerunt. Adicias C. I. L. I, 199,13: ad terminum qui stat ad floviom Edem.

IV. 96,14: et ad summum, qua fini culleum capiet pertundito. Affero quoque dictiones „ad perpendiculum“ 33,3, „ad lineam“ 107,10.

Etiam in loci significatione ad tempus translata eandem notionem invenimus. Ad autumnum enim, quod est 108,5: „semen maturum fit ad autumnum“ et 71,10: „ad ver diffundito“ non significant bis zu dem Frühling oder Herbst sed gegen den Herbst, um die Frühlingszeit. cf. Plaut. Pseud. 1177 (ed Ussing) Quotumo die ex Sicyone huc pervenisti? Harp.: Altero ad meridiem.

Postremum commemoro ad cum adiectivis coniunctum ut 97,15 saluber ad omnes res. 101,7: optima est ad huiusce modi vulnus. 108,12: id est optimum ad eam rem. cf. Epid. 291: Quem hominem inveniemus ad eam rem utilem.

Quod ad ponitur de remediis et de medicaminibus in morbis adhibitis ut 78,5. vinum ad isciacos sic facito et 78,14. 15. 79,1. 5. conferas Handium Turs. I p. 118.[1])

In fragmentis nihil est, quod de huius praepositionis usu memoratu dignum sit.

adversus, adversum.

Hae ambae formae inveniuntur item ut in volumine primo corporis inscr. lat. et in hac solum formula exstant: si adversus ea quis fecerit 90,8. 91,6. cf. I. I. L. I, 206,97: quei adversus ea fecerit. ibid. 107 aliisque locis.

aput.

aput uno tantum loco occurrit 50,13 cum in fragmentis sexies inveniatur.

cum.

Iam antea quam arte notio instrumentalis cum notione sociativa cohaereat, cognovimus. Inde mirari non debemus, quod apud priscos scriptores cum praepositionem saepius invenimus, ubi merus ablativus instrumenti posteriore aetate

[1]) Cf. praeterea Wilmanns. Exempla inscr. lat. 2755 sqq. ubi exstant signacula medicorum oculariorum.

ponebatur. Ut 23,6: iuga cum loris ornata. 62,9: tracta cum melle oblinito bene. Conferas Quadrig. ap. Gell. IX, 13,10 (ed. Hertz.): extemplo silentio facto cum voce maxima conclamat Enn. Ann, 530 (ed. Vahlen) Effudit voces proprio cum pectore sancto.[1])

Ceterus praepositionis usus, qui nihil insolens praebet, his illustratur exemplis:

claves cum clostris 27,9. dolia cum vino 37,9. urnas cum aquae dimidio addito 42,19. fisceliam cum sale populari suspendito 65,13. virgas murteas si voles cum bacis servare . . . et si ficulneos ramulos voles cum foliis. 69,14. ollam statuito cum aqua. 98.6.[2])

30,6: arbores altas P. VIIII cum cardinibus.[3])

84,6: cum divis volentibus quodque bene eveniat, mando tibi, Mani. Multo saepius in hac formula cum omittitur sed confer Enn. Ann. 507 (ed. Vahlen): Dono ducite doque volentibus cum magnis dis.

de.

Ante omnia in usu praepositionis de commemorandum est eam saepius apud Catonem pro genetivo aut adiectivo positam esse. Recte Handius l. l. II p. 202: „Genetivus, inquit, cum rationem exprimat, qua aliquid alia re pendeat, sive ei inhaereat sive sit inde sumptum, in graeca et latina et in aliis linguis fit ut idem sensus etiam per praepositiones exprimatur quae sunt ἀπό et ἐκ, a et de.“ Itaque omnibus temporibus post numerales notiones exempli gratia et praepositiones de et ex et genetivum invenimus, ut etiam apud Catonem: 12,3: de omnibus agris optimoque loco iugera agri centum. 100,13: de omnibus brassicis nulla est illiusmodi medicamento.

[1]) cf. Hand. l. l. II. p. 159.

[2]) cf. Pl. Stich. 647: Cadum modo hinc a me huc cum vino transferam. cf. Pers. II, 3,15. Curc. 82. Moso. I, 3 91. cet.

[3]) cf. C. I. L. I, 557,2,12. eum parietem cum margine altum facito p. (edes) X.

72,12. sextarium de eo vino. 75,15: de eo vino cyatum sumito. Sed Cato longius procedit. Eiusmodi dictiones 53,15 acus fabagineum, de vicia vel de lupino item de ceteris frugibus. 18,13. sicilimenta de prato. 29,14: id semen de cupresso de pino quidvis anni legere possis: aut: ungulam de perna 105,8. frustum de perna ibid. partem de nucleis 43,8. faecem de vino bono 68,11. testam de tegula 73,4. de iunipiro materiem concidito 78,5. apud classicos, qui vocantur, scriptores non inveniuntur.[1]) Atque iterum perspicue cognosci potest, quam tenaciter antiquissimi sermonis nonnulla in vulgari sermone servata sint, cum in linguis ex latina ortis praepositio de ad genetivi formationem adhibeatur.

Praeterea haec quam brevissime adnoto: emere de aliquo 12,13 cf. Epid. 495: Mercatus te hodie est de lenone Apoecides. Capt. Prol. v. 34: emit hosce de praeda ambo de quaestoribus.[2]) C. I. L. I, 200,74: de magistratu Romano emit.[3])

Cato dicit facere aliquid de aliqua re (31,19. 57,17 63,9. 67,3. 72,18. 70,10.)[4]) ex aliqua re (15,16. 27,13. 28,14, 15,19. 32,6. (bis.) 33,6. 39,14.) aliqua re (27,13 34,9. 57,16. 66,2.).

Denique enumerare sufficit de localem significationem (von, von herab) hisce locis habere: 28,6. 32,15. 37,12. 40,12. 44,6. 48,11. 20. 58,8. 10. 61,23. 73,15. 74,7. 10. 15. 75,15. 76,4. 77,12. 90,19. 92,1. 19. 95,12.

[1]) cf. Pl. Pseud. 1167 (ed. Ussing.) Heus memento ergo dimidium istinc mihi de praeda dare. Sed non occurrunt apud Plautum exempla, in quibus de eodem modo usurpatum sit. cf. Kampmann De de et ex praepositionum usu Plautino. Bresl. 1850.

[2]) Sic B et D. Fleckeisenus mutavit in: emit de praeda hosce ambos a quaestoribus, id quod Studemundus Fleckeisen ann. 1876 p. 67 sqq. probat.

[3]) Plura exempla ex Plauto affert Kampmannus l. l. p. 3 sqq.

[4]) cf. frgm. 28,7. mons ex sale mero magnus. C. I. L. I, 577, 2, 3: ex tigno pediario facito.

97,3. 102,1 (bis.). notionem über his: 28,6: de ea re verba uti fiant. 94,9. 97,12. 99,14. 100,1.

Ex.

Haec sola forma in libro de r. r. occurrit item ut in primo volumine corporis inscr. lat., neque unquam e quae in fragmentis quater ante vocabula a consonanti incipientia est.

Praepositionis usus in libro de r. r. hic est:

1) Exitum ex aliquo loco aut ex aliqua re exprimit ut vulgo: 29,7. 41,14. 43,6. 50,8. 51,17. 57,13. 66,8. 71,13. 73,13. 77,4. 83,12. 85,1. 90,11.

Huc pertinent dictiones quae adverbiorum vices obtinent: ex altera parte 48,4. ex ima parte 53,1. qua ex parte 85,14. quota ex parte 87,8. Quibuscum conferas C. I. L. I,198,51: in qua sorticula ex altera parti A siet ex altera parti C.

Huc etiam referenda sunt linguae medicorum ut ita dicam propria haec: ante cenam esto crudam (brassicam) quantum voles ex aceto 98,2. si edes brassicam ex aceto 102,12. ex aqua dato (turundas) 66,13. cf. Pl. Merc. 139: Resinam ex melle Aegyptiam vorato.

2) Ex temporalibus notionibus iunctum rem aliquam a certo quodam temporis momento initium capere exprimit, ut: 49,7: ex eo die dis XLV recte putabis. cf. 92,15. 93,21. frgm. 63,4: venefici postridie iussisti adesse in diem ex die. C. I. L. I,198,21: die vicensumo ex eo die. ibid. v. 66: dies proxsumos ex ea die. Pl. Poen. 499: res serias Omnis extollo ex hoc die in aliam diem. Merc. 1024: Haec adeo addo, ut ex hac nocte primum lex teneat senes.

3) Cum transfertur ad rerum conexum rationemque originem et causam indicat. (in Folge von): 15,14: damni nihil erit ex tempestate. 18,4; id ex fame et si inpluit fieri solet. 102,6: nam venae ubi sufflatae sunt ex multo cibo. 102,7: ubi ex multo cibo alvus non it. cf. frgm.

78,6: ex dolore ex febri, ex siti, ex medicamentis bibendis, ex cataplasmatis, ex alvo lavando. frg. 19,8: Dii immortales tribuno militum fortunam ex virtute eius dedere. Att. 532. (Ribb. I p. 207.) Ex viperino morsu venae . . taetros cruciatus praebent. Afran. 352. (Ribb. II p. 210) ex desiderio magis magisque maceror. Pl. Mil. IV,5,12: Saltem id volup est, quom ex virtute formas evenit tibi. Amph. 541: ex amore hic ad modum quam saevos est. cf. Merc. 324. Ter. Adelph 197. Andr. 268. Phorm. 750.[1])

4) Coniungitur cum verbis colligere, concludere similibus aliquid ex aliqua re: 66,4: ex gula consideret, quod satis siet. cf. Trin. 1049: eorum ex ingenio ingenium horum probant. Pers. II,2.30.

Postremo me 28,17: ex signo manupretium erit. 35,12: ex trapeto temperato. non intellexisse profiteor.

fini.

Fini ex ablativo substantivi finis paulatim praepositio facta est. 38,11. „postea operito terra radicibus fini" proprie significat: decke darauf Erde herüber, indem die Wurzeln die Grenze bilden. radicibus fini igitur ablativus absolutus est. Item. Pl. Men. V. 2,106 Osse fini dedolabo assulatim ei viscera. Ablativum esse fini ex locutione qua fini, quae vel apud iure consultos secundi saeculi post Chr. n. frequenter offenditur, apparet, quoniam finis feminini generis fuisse apud priscos scriptores constat[2].) qua fini apu Catonem exstat 34,1. 93,21. 96,14. Postea fini plane praepositionis munere fungebatur et genetivum sibi adscivit ut 75,3: ansarum infimarum fini.

In.

1. Cum ablativo.

Omitto vulgaria, quae commemoratu indigna sunt.

[1]) Plura exempla ex Plauto affert Kampmannus l. l. p. 15.
[2]) cf. Lachmann ad Lucr. I,555.

Nonnullis locis accusativum post praepositionem in offendimus, quibus ex grammatices regulis ablativus requiritur, ut 34,1: cupa qua fini in modiolos erit. 65,18: eam muriam in labella vel in patinas in sole ponito. Cum his locis Keilius codices secutus ea quae posui in textum receperit, quo iure sequentibus locis a manuscriptis digressus sit nescio: 46,4: P. A. R. haec habent: coquito in fornacem 46,5. V. A. R. haec habent: per imbrem in villam quaerito, quid fieri possit. 52,20: V. A. R. haec habent: eum qualum in arborem relinquito.

Quaerendum esse censeo, num omnino fieri potuerit, ut a Catone talia scriberentur. Seidelus in dissertatione, cui inscripsit „Observationes epigraphicae" (Breslau 1880) p. 41 sqq. haec exempla ex inscriptionibus affert:

I, 200,1 (lex agr.) Quei ager poplicus in terram Italiam fuit. item 200,11. sed 200,3: in terra Italia.

I,200,14: sei quis tum cum haec lex rogabitur agri colendi causa in eum agrum agri ingera non amplius XXX possidebit habebitve is ager privatus esto. quei in agrum compascuom pequdes maiores non plus X pascet. at ibid: 25: in eo agro quei volet pascito. I,200,55: praefectus milesve in provinciam erit.

I,200,75: quei eorum in amicitiam populi Romani . . . manserunt.

I,198,13: queive in urbem Romam propiusve urbem Romam p(assus) M domicilium non habeat.

Lex col. Gen. c. 127,48 sqq: Ne quis in orchestram ludorum spectandor. causa . . . sedeto.

ibid. 130,45 et 131,6: Qui cum ea res agetur in Italiam sine imperio privatus erit.

C. I. L. V, 5050.26. sqq. (a. p. Chr. 46.): Cum longa usurpatione in possessionem eius fuisse dicatur.

J. R. N. 2646 = Or. 4405: Cum pater Rufini et postea Rufinus . . . . semper in possessionem fuerunt.

ibid. 6828 = Or. 3787 (a p. Chr. 113): In curiam fuerunt Pantius Celsius dictat. cet.

Tum Seidelus docet m litteram non modo saepissime in inscriptionibus omissam sed etiam falso adiectam esse; id quod factum esse ob obscurum debilemque sonum huius litterae in vocum terminatione. Omnes igitur quos supra posui locos duobus exceptis (I, 200,14 sqq.) quadratarii neglegentiae deberi censet. Locum autem illum qui est C. I. L. I, 200,14 sqq sic explicat: „in agrum compascuom pequdes pascet idem fere videtur esse quod in agrum compascuom pequdes pastum aget ibique pascet. Alter deinde accusativus „in eum agrum" spectat ad totam sententiam antecedentem: „Quei ager locus publicus populi Romani in terra Italia P. Muncio L. Calpurnio cos. fuit" positus quasi pro „quod in eum agrum est" sive „quod ad eum agrum attinet." Postremo sic totam quaestionem concludit: „His expositis sequitur in praepositionem cum accusativo quamvis exspectetur ablativus non coniungi nisi duobus locis. Hi vero si sani sunt nec debentur quadratario non ita multum anomaliae in se habent. Statui igitur licet per inscriptiones istam coniunctionem mirabilem in urbanum sermonem minus convenire. Fuerit in ore Romanorum, tamen ea semper condicione videtur usa esse, ut aut a scriptoribus adhiberetur ad vim orationis augendam et breviloquentia quadam ornandam aut plebeiorum hominum neglegentia vitiosaque pronuntiatione admitteretur."

Ego aliter de ea re sentio. Affero primum ex scriptoribus exempla quae ad hanc quaestionem solvendam praetermitti non possunt.

Enn. trag. v. 8. (ed. Vahlen.) Aeque inimicitiam atque amicitiam in frontem promptam gero.

Pl. Amph. 180: „numero mihi in mentem fuit." Idem: Bach. I, 2,53. Ter. Haut. 986. Adelp. 528. Pl. Epid. 191. Nam ego illum audivi in amorem haerere apud nescio quam fidicinam.

Coel ap. Gell. X, 24,6: (ed. Hertz.) die quinti Romae in Capitolium curabo tibi cena sit cocta.

Deinde huc pertinent formulae illae, quae vel apud classicos qui dicuntur inveniuntur ut: in potestatem esse (cf. Cic. Verr. V, 38.) in amicitiam dicionemque esse Cic. div. in Caec. cp. 20 (§ 66.), in custodiam habere, in potestatem habere, in vadimonium esse (Cic. pro Quinct. 5 § 22.)

Memoratu digna sunt quae Gellius I, 7,16 de hac constructione disserit: „Idem autem ille amicus noster in eiusdem M. Tullii oratione, quae est de imperio Cn. Pompei, ita scriptum esse a Cicerone dicebat atque ipse ita lectitabat: „Cum vestros portus atque eos portus quibus vitam ac spiritum ducitis, in praedonum fuisse potestatem sciatis" neque soloecismum esse aiebat „in potestatem fuisse" ut vulgus semidoctum putat, sed rationem dictu certam et probam contendebat, qua et Graeci ita uterentur et Plautus verborum Latinorum elegantissimus in Amphitruone dixit: Numero mihi in mentem fuit, non ut dici solitum est in mente. Sed enim praeter Plautum, cuius illo in praesens exemplo usus est, multam nos quoque apud veteres scriptores locutionum talium copiam offendimus atque his vulgo annotamentis inspersimus." Tum Ciceronem in potestatem dixisse exponit, quod id iucundius ad aurem completiusque sit. Tali explicatione nos satisfieri non posse in promptu est. Si Reisigius l. l. p. 718 accusativum „durch die Vorstellung einer ideellen Bewegung d. i. einer solchen, die nur der Gedanke nimmt bei der Betrachtung einer Sache, die der Wirklichkeit nach sich in der Ruhe befindet." explicat, idem id valet quod vulgari illa explicatione exprimitur: duas sententias in unam esse confusas ita ut mihi aliquid in mentem est dicatur pro: aliquid mihi in mentem venit atque igitur in

mente est. Atque comprobatur aliis praeterea rebus apud Romanos notiones motus et loci capti primitus non severe distinctas fuisse. Ante omnia verborum ponendi constructionem dico. Quorum verborum notio, quippe qua motus in locum aliquem exprimatur, proprie accusativum postulat. Atque sequitur ea in prisco sermone saepe hic casus ut cognoscemus. Multo quidem facilius apud ponendi verba talem duarum sententiarum confusionem fieri posse quam apud omnia cetera, quis est qui neget? Deinde moneo, in lingua Umbrica terminationes — mem aut — fem et motum in locum et quietem in loco exprimere.[1] atque item locativum casum in lingua sanscritica.[2] Quid? nonne similia in lingua graeca et in lingua germana offendimus? Haud raro *ἐν* pro *εἰς* occurrit apud Homerum potissimum ut: *ἐν κονίῃσι πέσε, ἐν χερσὶ πεσεῖν. ἐν χείρεσσι λαβ' αἰγίδα.*[3] Et *παρεῖναι εἰς* saepissime occurrit et apud Herodotum[4] et Thucydiem[5] et Xenophontem[6] et alios. Item in nostra lingua praepositio „bei" primitus cum verbis motus et cum verbis quietis coniungebatur et in lingua vulgari hodie quoque dici exempli gratia: ich gehe in dem Theater pro: ich gehe in das Theater, aut: ich gehe in den Garten pro: ich gehe in dem Garten, quis est qui nesciat?

Quibus rebus cognitis fieri non potest, quin cum Seidelo nos consentiamus. Atque praeterea; qui factum est, ut omnia huius anomaliae exempla, quae in inscriptionibus inveniuntur, in inscriptionibus ante Augusti aetatem

1) cf. Aufrecht und Kirchhoft. Die umbrischen Sprachdenkmäler p. 111 sq.

2) cf. Aufrecht und Kirchhoff l. l. p. 111. adn.

3) Il. 15.229.

4) ut I, 9. V, 72,4. VI, 1,3. 24,3. VIII, 60,2, IX, 115.3.

5) VI. 88.

6) An. VII, 1, 11: *ὃς ἂν μὴ παρῇ εἰς τὴν ἐξέτασιν.* Conferas praeterea Pind. Pyth. XI. 37: *θῆκέ τ' Αἴγισθον ἐν φοναῖς.* cf. ibid. P. VIII. 11.

incissis offendamus, tribus tantum exceptis? Id casu factum esse, credi potest? Si porro deliberaverimus, post Terentium huius rei exempla non nisi in formulis quibusdam reperiri, eam nos conclusionem facere oportebit, primitus apud Romanos ambas illas notiones non severe distinctas fuisse. Id iterum in vulgari sermone diutius esse servatum quam apud scriptores non mirabimus, iis quae supra dixi deliberatis. Sic apud Petronium haec occurrunt:[1] in controversiam esse cp. 15. fui in funus c. 42. videbo te in publicum c. 58. in publico effundere c. 71. in balneo descendere c. 77. in balneo sequi c. 26. in deversorio admitti c. 19. in vicinia currere c. 36. — Qua de causa non est mirum, quod in Catonis libro de re rustica. haud pauca in ceterorum scriptorum fragmentis nulla eiusmodi exempla exstant.[2]

Sequitur ut de ponendi verborum constructione agamus. Post ponere plerumque (11,6. 21,6. 38,10. 43,14. 51,18. 19. 61,20. 65,10. 13. 18. 19. 21. 71,11. 74,2. 14. 75,3. 76,8. 80,11. 95,4. 98,13. 108,7) in cum ablativo exstat. Accusativum his tantum locis offendimus: 58,5: cortinam plumbeam in lacum ponito. 61,22: tracta singula in totum solum primum ponito. Item secundum codices accusativus ponendus est 53,3: in scrobem ponito; neque cur non posuerit Keilius scio, cum haec codices praebeant: in scrobem ponito A. R. et ex Laurentiano 30,10 Politianus, in scrobe posito V. Ceterorum horum verborum usum ex his cognosces exemplis: adponito in eum locum. 48,11. ita inponito in solo 62,10.

1) cf. Ludwig. De Petronii sermone plebeio. (Marburg 1869.) p. 35.

2) Ex hac et ex multis aliis rebus quas vel adhuc disserui vel postea disseram apparet, Catonis temporibus non iam ita esse scriptum quam loquebantur homines, id est: dass der Unterschied einer Schrift — und Umgangssprache damals schon vorhanden war, de qua dubitant viri docti.

bene in mortarium inponito 70,14. conponere, conlocare, statuere cum ablativo solum coniuncta invenimus. condere ablativum 53,17. 54,11. 90,12, accusativum 21,6. 53,13. 69,8. 74,11. 76,14. 77,7 sibi adsciscit. supponere semper coniungitur cum praepositione sub cum accusativo.

Comparanda sunt cum iis haec exempla: Cato frg. 11,4: in plaustrum inponit. Pl. Trin. 739: Te in crimen populo ponat atque infamiam. Rud. IV,7,11: Atque edepol in eas plerumque esca inponitur. Capt. V,2,4: ne tu in spem ponas me bonae frugi fore. Curc. 506: eodem hercle vos pono et paro. Aul. 706: me collocavi in arborem Men. V,6,28: postquam in tabernam vasa et servos conlocavi. Liv. Andr. 10. (Ribb. I p. 2.) in sedes conlocat se regias. Att. 437. (Ribb. I p. 192) conlocat sese in locum celsum. C. I L. I,198,66: Quae pequnia ex hace lege in aerarium posita erit.

Pergamus de in praepositionis usu cum ablativo disserere. Apud vocem locus cum attributo coniunctam praepositionem in adiectam quindecies (18,20. 19,5. 9. 21,8. 10. 41,17. 42,8. 9. 11. 13. 14. 46,9. 59,3 85,11. 108,7,) omissam septies (18,15. 22,5. 28,16. 17. 37,9. 42,7. 85,12.) reperimus. Item in fragmentis praepositio modo adiecta modo omissa est. Apud totus in ubique est adiectum. (91,10. 102,7.)

Postremum dicam de in apud temporis notiones. In cum temporalibus notionibus compositum aut continuum aliquod temporis spatium exprimit aut certo aliquo illius temporis spatii puncto fieri indicat. Itaque semper ponitur post adverbia numeralia ut bis in die 37,9.[1]) Quodsi igitur duobus tantum locis (101,7. 8.) bis die offenditur, cum Keilio praepositionem in addendam esse censuerim. Eadem de causa in positum est his locis: 93,11 in triduo proximo viri boni arbitratu degustato. 104,21: in triduo

[1]) cf. 57,11. 65,6. 66,4. 6. 65,14. 49,2. 70,13. 96,4. 101,3.

polypus excidet. Item frequentissime in legibus ut C. I. L. I,197,14: in diebus V proxsumeis . . . iouranto.[1]) cf. Pl. Pseud. I,3,82: ego in hoc triduo . . . evolvam id argentum tibi.[2])

Continuum contra temporis spatium in his indicatur exemplis: 54,19: mense quarto heminas in dies (bibant), id est in mense congios II 5: mense quinto . . . in dies sextarios id est in mense congios quinque: nono . . . in dies heminas ternas, id est in mense amphoram. 55,10: Salis unicuique in anno modium satis est. Pro in inter offendimus 55,2: Summa vini in homines singulos inter annum Q. VIII. Quocum conferas Pl. Stich. 213: quae autem prandia Quae inter continuum perdidi triennium. Titin. 25. (Ribb. II p. 136.) quae inter decem Annos requisti togulam unam detexere.[3]) Truc. 510: inter tot dies quidem hercle iam aliquid actum oportuit.[4])

2. in cum accusativo.

Ut apud verba motus in cum accusativo finem exprimit, quo aliquid tendit, ita apud agendi verba consilium aut post substantiva cui aliquid destinatum est indicat: 47,15: medicamentum in dolium hoc modo facito. 58,13: factoribus det in factus olei sextarios et in lucernam quod opus siet. 32,13: in vasa vinaria stipites arboresque . . . facito. cf. 33,5. 34,11. 35,10. 37,10. 39,1. 44,8. funem loreum in plostrum 56,15. lora subiugia in plostrum 57,1. eodem in omnes quadripedes utito 68,16. similia.[5]) Huc pertinent quoque: 39,7: in hiemem conser-

[1]) cf. C. I. L. I, 197,16,23. 198,12. 16. 26. 62. 66. 200,37. 52. 77. 78. 196,30.

[2]) cf. Pers. I, 1,38. Capt. I, 2,64. Pseud. V, 2,12. cf. Kampmann De in praep. usu Plaut. p. 19.

[3]) Immerito Ribbeckius scripsit intra.

[4]) inter a Buchelero in Fleckeisen ann. t. CV (a. 1872) in intra mutatum est.

[5]) cf. 72,8. 83,13. 84,8. 12. 13. 15. (bis.)

vato 75,13: servare in vetustatem. 14,12: siquid desit in annum; ac potissimum apud mensurae notiones: 55,2 in singulos homines congios. 29,3: praebeat calcis in P. singulos . . modium unum. 28,8: in tegulas singulas II (nummos) solvat. 15,17: in iugera oleti CXX vasa bina esse oportet. Sed longum est omnia enarrare, hic habes locos: 53,11. 54,19. 20. 21. 55,3. 4. 9. 58,14. 59,10. 64,4. 67,13. 78,12. 91,2. 9. 11. 19. 93,9. 94,11. 18. 108,16. Haec conferas: Pl. Poen. 503: in hunc diem iam tuos sum mercennarius. Men. III,1,10: in dies qui singulas escas edint.[1]) C. I. L. I,199,26: Pro eo agro vectigal dent . . . in annos singulos vic(toriatos) n(ummos) CCCC. cf. ibid. v. 28.

insuper.

Insuper quater (31,5. 10. 34,5. 47,10) in libro de r. r. praepositionis munere fungens cum accusativo componitur ut 31,5: insuper arbores stipitesque trabem planam inponito. Ita non nisi apud recentiores scriptores ut Columellam et Vitruvium usurpari videtur.[2])

Felici autem casu hic praepositionis usus inscriptionibus comprobatur. C. I. L. I,577 (Lex par. fac.) 1,13 haec leguntur: insuper id limen robustum . . . inponito.[3]) ibid. 1,15: insuper id et antas mutulos robustos. ibid 1,18: insuper mutulos trabiculas abiegineas . . . inponito.

ob.

Ob praepositio hoc uno loco exstat: 83,7: item Jano vinum dato et Jovi vinum dato item uti prius datum ob struem obmovendam et fertum libandum.

Quo loco ob externam causam exprimit, ita ut ob struem obmovendam idem valeat atque in strue obmovenda.

---

[1]) Plura attulit Kampmannus l. l. p. 39.

[2]) cf. Hand. l. l. III p. 386. Forcellini s. h. v.

[3]) Immerito Mommsenus id ex interpolatione accessisse arbitratur. id refertur ad lumen praecedens.

Nullum aliud nisi hoc exemplum inveni: Sall. Ing. 89,2: Existumans Ingurtham ob suos tutandos in manus venturum.

per.

Non multum est, quod de huius praepositionis usu disseram:

1. De loco usurpatur: 45,3. 47,3. 52,18. 61,18. 70,2. 72,5. 82,4. Seorsum affero: 40,9: Vites bene nodentur: per omnes ramos diligenter caveto ne praecipites et ne nimium praestringas.[1]) cf. frgm. 37,8: numquam praefectos per sociorum vestrorum oppida inposivi. et 87,3: Opus cotidie per partes facito; id est: „opus facito cotidie per singulas partes progrediens.“[2])

2. Creberrime per temporalibus notionibus iungitur: 13,19. 14,3 18,9. 29,17. 37,6. 38,4. 40,2. 18. 43,13. 46,5. 8. 47,12. 13. (bis.) 14 (bis.) 53,7. 54,8. 13. 14. 15. 56,10. 11. 59,16. 60,14, 70,11. 76,4. 89,14. 95,3. 6. 96,2. 97,3. 9. 104,9. 107,15.[3])

3. Cum personis semel modo per deprehenditur: 93,13: Quot dies per dominum mora fuerit. Quocum conferendum: C. J. L. I, 199,26: Quod per Genuates mora non fiat.

Aliter Cato per praepositione in libro de agricultura non utitur.

pone.

Prisca haec praepositio quae usque ad Terenti tantum aetatem obtinuisse videtur semel apud Catomen exstat: 30,14: ab stipite extremo ad parietem qui pone arbores est.

---

[1]) Dubium esse potest, num potius sic distinguatur: Vites bene nodentur per omnes ramos; diligenter caveto cet.

[2]) cf. Obricatis De per praepositionis usu, qualis obtinuerit ante Ciceronis aetatem. (Kgsb. 1884.) p. 8.

[3]) Apud ea vocabula, quae tam crebro in libro nostro inveniuntur, ex numeris allatis cognoscas, quam aequabilis per totum liber sit sermo.

post.

Post cum temporis notionibus tantum coniungitur. Memoratu dignum sit 57,13. triduum atque quadriduum post oleum facito.

pro.

Pro has habet significationes in libro de agricultura:

1. Zu Gunsten, für his tantum locis: 63,13. Votum pro bubus uti valeant. 80,13. dapem pro bubus facito. 89,10: scito dominum pro tota familia rem divinam facere. 89,14: lari familiari pro copia supplicet. 93,3: proque ea re pignori sunto. Non opus est ex aliis scriptoribus exempla afferre.

2. Valet loco alicuius aut alicuius rei anstatt, an Stelle von 20,11: pro passis eae recte conduntur. 28,10 unde quarta pars aberit, duae pro una, conliciares quae erunt pro binis putabuntur cf. 31,9. 35,7. 53,18. 89,9. 93,12. 94,16. 90,9: pro eo nemo solvet cf. 90,12. 91,8 17. 93,16. 17,3: pro beneficio gratiam referat.[1])

3. Vim habet im Verhältniss zu: 16,16: villam pro copia aedificato. 16,16. pro noxa bono modo vindicet. 79,13: Dato ieiuno et puero pro aetate triobolum et vini heminam. cf. Truc. 147: nunc vicissim Volo habere oratiunculam pro copia hic apud vos.[2])

4. Adverbiorum munere funguntur hae locutiones: pro ratione 12,15. 62,7. 67,11. pro portione 55,3. 71,18. 102,8. pro indiviso 86,5.

propter.

Propter bis tantum in libro de r. r. exstat: 22,5: salicta locis aquosis, umectis, umbrosis propter amnes ibi seri oportet. Conferenda: Pl. Curc. 475 in foro infumo boni homines atque dites ambulant: In medio propter

---

[1]) cf. frgm. 16,17. 39,8. 44,8. 64,7. 68,3. 69, 6. Holtze. l. l. I p. 346.
[2]) cf. Holtze l. l. I p. 348.

canalem ibi ostentatores meri. Mil. gl. v. 9: Stat propter virum fortem atque fortunatum.

95,7: per ver serito in loco ubi terra tenerrima erit, quam pullam vocant, ubi aqua propter siet. Adverbii igitur vices obtinet. Conferenda: Tr. Ad. 576: ibi angiportum propter est. Cat. frg. 15,4: Thelunti Tauranii vocantur de fluvio qui propter fluit.

secundum.

Secundum omnibus quattuor locis quibus invenitur de tempore dictum est. Conferas Pl. Cas. prol. 28: secundum ludos reddunt autem nemini.

„Pro secundum, inquit Holtzius l. l. I, p. 216, dicebatur etiam secus. sic apud Catonem r. r. 33,19: dextra sinistra foramina utrimque secus lamminas sub lamminas pollulas minutas supponito.“ Lachmannum videtur secutus esse, qui ad Lucr. III, 306 loco illo utitur ad textum Lucretii emendandum. Equidem illo quoque Catonis loco ut omnibus aliis, quibus repperitur utrimque secus adverbium esse arbitror. Loci quibus exstat hi sunt: Cat. r. r. 34,1: cupa qua fini in modiolos erit utrimque secus imbricibus ferreis quattuor de suo sibi utrimque secus facito qui figas. Quo loco, quamquam quid sibi velit non intellego, utrimque secus adverbium esse manifestum est. Deinde Lucr. IV, 939: Quare utrimque secus cum corpus vapulet. Lucil. (ed. Luc. Mueller.) XXII, 6: Zopyrion labeas caedit utrimque secus. Appul. Met. II, p. 116,8: canes utrimque secus deae latera muniunt. Alibi haec vox exstare non videtur, cum in Lucretii, quem supra dixi versu (III, 306.) Lachmanni coniectura tantum inserta sit. Catonis igitur locus ille sic mihi vertendus videtur esse: Zur Rechten und Linken der Löcher (cf. 30,12: dextra sinistra pavimentum) lege auf beiden Seiten ganz kleine Bleche unter die Bleche.

Sub.

De loco tantum usurpatur. Aftero solum: 21,12: sub urbe hortum omne genus. cf. Pl. Trin. 508: est ager sub urbe hic nobis. C. J. L. I, 201,1: sub aede Kastorus.

2. De adverbiis.

Adeo.

Handius Turs. I p. 137 act: „Veteres scriptores, imprimis comici, adeo ita usurpabant, ut, nulla eximiae vel accrescentis magnitudinis habita ratione, pro eo et ad id ponerent ad simpliciter indicandum loci vel temporis terminum, neque adscenderent per hanc particulam ad superiora et maiora.“ Hanc solam significationem adeo habet in Catonis scriptis ut 47,6: artito usque adeo quo praeacueris. Ubique adeo cum usque compositum est, ac plerumque sequuntur aut dum (54,16) aut donec (58,15. 62,1. 65,3. 15. 19. 71,15.) 30,1: „per sementim primum incipiunt maturae esse, postea usque adeo sunt plus menses VIII“ equidem non intellego.

aliquantum.

46,13: (ramum) inclinato aliquantum, ut aqua defluat. Cf. Trin. 517: Huc concede aliquantum.

Antea.

Antea, quod apud Plautum omnino non, apud Terentium semel (Andr. v. 25) occurrit,[1] in libro de r. r. semel (102,1.), in fragmentis bis (52,14. 61,1.) exstat.

deorsum.

Quod Handius l. l. II p. 280 ait „Antiqui homines dixisse videntur deorsus“ inscriptionibus refellitur, in quarum volumine primo forma deorsum sola reperitur.

Dumtaxat.

Dumtaxat (28,4. 34,12. 51,15.) ita ut vulgo et in legibus quidem potissimum usurpatum est. cf. Hand l. l. II p. 330 sqq.

[1]) cf. Brix ad Trin. 568. Spengel ad Andr. 25.

Eo.

Eo adverbium loci esse potest et ablativus merus pronominis is adverbii munere fungens. Loci adverbium his locis est: 12,5. 20,3. 31,1. 2. 10. 19. 33,3. 13. 43,9. 46,1. 47,4. 16. 48,1. 51,4. 6. 8. 9. 64,14. 65,6. 67,6 70,13. 73,11. 74,12. 80,1. 84,5. 95,13. 98,11. 99,9. 17. 103,5. 13. 104,1. 16. 105,7. (bis) 9. Huc pertinet etiam 35,9: eo sumpti opus est HS LX, ubi eo vertendum est dazu. Conferas quaeso: 19,8: et materies, siquo opus sit, parata erit.

Ablativi vis manifesta est cum eo significet deswegen ut 19,12: non convenit harundinetum cum corruda eo quia foditur. 43,1: cicer quod vellitur et quod salsum est, eo malum est.

Jam.

Jam numquam in libro de r. r. significat schon, bereits. His enim exstat locis: 41,9: et quae iam in iperticam ibit eius pampinos teneros alligato. 78,12: ubi am passa erit (murta,) servato ad vindemiam. 108,7: post annos VIII aut novem cum iam est vetus (asparagus.) digerito. 109,1: ubi iam omnes composueris sale insuper obrue. 109,2: ubi iam dies quinque in sale fuerint, eximito omnis. Quibus omnibus locis certum temporis punctum, in quo aliquid fit aut factum est designat, ita ut vertendum sit eben, gerade. Animadvertas quaeso, ubique iam uno excepto loco cum coniunctionibus ubi aut cum compositum esse. Neque alienam esse eam significationem a prisca oratione his cognoscitur exemplis: Pl. Curc. 646: Postquam illo ventumst, iam ut me conlocaverat, Exoritur ventus turbo. Ter. Hec. 378: iam ut limen exirem, ad genua accidit. Atque eandem vim particula iam habet in compositione nunciam, quae frequens exstat apud Plautum.

Ita.

Creberrime ita in principio enuntiatorum positum

est ita ut idem fere sit ac postea, deinde. Eiusmodi dico enuntiata ut 64,15: omnia una permisceto bene. ita insipito in aulam novam. aut 48,20: scrobes facito altos P. III S, latos P. IIII et facito de scrobe aqua in sulcum defluat. ita oleas serito. Item: 54,3. 62,9. 17. 63,1. 8. (bis) 64,12. 16. 77,7. 101,13. 104,16. 20. 108,5. 9. Nos quoque vocabulo so item utimur in vulgari sermone, ita ut breviter dictum sit pro: si haec ita facta sunt.

Vulgaris etiam sermonis proprium Handius l. l. III, p. 470 esse existimat, quod ita bis positum sit 90,14: scalae ita uti datae erunt, ita reddito. Pro altero ita invenimus item: 77,2: cetera item condito, ita uti scriptum est. 93,3: proque ea re ita uti S. S. E. item pignori sunto.

Denique adnoto, adverbium ita semper ad praecedentia relatum esse et quattuor tantum locis ad sequentia 11,6. 9. 29,6. 59,17. cf. frg. 19,9. 24,3. Adverbium contra sic, quod octoginta quinque locis occurrit, quater ad praecedentia spectat.

Ibi, ibidem.

De loco tantum usurpantur. Nihil habeo quod commemorem, nisi quod ibi saepius pleonastice adiectum esse: 22,5: Salicta locis aquosis, umectis umbrosis propter amnes, ibi seri oportet. 61,20. postea in tabula pura quae pateat P. I ibi balteum ponito. cf. Pl. Curc. 475: In foro infumo boni homines atque dites ambulant, In medio propter canalem ibi ostentatores meri. Remissioris id esse sermonis arbitror.

Inpraesentiarum.

Handius l. l. III p. 235: „Atqui, inquit, omnis haec quaestio (de significatione et veriloquio vocis impraesentiarum) inanis esse videtur, siquidem Scioppius in lud. de stilo histor. p. 118 et Graevius ad rhetor. ad Herenn. 2,11 recte iudicaverint, locutionem hanc toti antiquitati incognitam ab interprete latino sacrorum librorum esse fictam

et ab indoctis librariis . . . in veterum libros temere receptam . . . Scriptores enim, quorum in libris consentiunt et codices ex antiquis sunt Cato et Fannius et auctor librorum ad Herennium, ex recentioribus is qui conposuit Cornelii nomine vitas, Tacitus, Appuleius quater et decies, Ulpianus, Symmachus, Sidonius, Minucius Felix, Hieronymus. At Catonis libros de re rustica non sinceros habemus sed a multis ut videtur interpolatos et in hoc quem modo afferemus loco ne sententia quidem satis perspici potest.“ Pace tanti viri dico, nostrae aetatis philologo talem affirmationem, vocem illam haud raro apud antiquos scriptores inventam toti antiquitati esse abiudicandam, levissimam et plane futilem videri. Nihil igitur ex hoc vocabulo de Porci libri interpolatione colligi potest. Corssenus Ausspr.[2] II p. 869 sic vocabulum explicat: „impraesentiarum entstanden aus in praesentia harum [rerum], wie die Gegenwart bezeichnet wird durch hoc tempore, hoc anno, hornus etc. . . . Rerum ist bei inpraesentiarum ausgelassen, wie in der Verbindung repetandarum accusare.“ Nil habeo quod adiciam, praesertim quod locum, quo exstat haec vox apud Catonem (91,4.), me non intellegere libere est profitendum.

Intro.

104,15: turundam intro trudito. 105,3: in aurem intro tepidum instillato. 102,5: uno verbo omnia sana faciet, intro quae dolitabunt. 104,19 et si polypus in naso intro erit. Vides igitur in duobus posterioribus locis intro idem valere atque intus. Handius igitur ex hoc vocabuli usu librum interpolatum esse effecit.[1]) Atque habet re vera apud Plautum numquam particula intro eam significationem.[2]) Nihilo minus intro illis duobus

[1]) Hand. l. l. III, 442: Hos Catonis libros ab aliena manu interpolatos ad nos venisse non semel iam notavimus.

[2]) Non repugnant Truc. 920: Condidi intro quod dedisti. ibid. 750: Intro accipitur: quando acceptumst, non potest ferri foras.

locis a Catone ipso scriptum esse, censeo. Lucilius enim docet IX frgm. 30 (ed. Luc. Mueller). „Nam velut intro aliud longe esse atque intus videmus. Sic item apud se longe aliud est neque idem valet ad se: Intro nos vocat ad sese tenet intus apud se.“ His verbis concludi postet, Lucili aetate ut intro et intus ita ad et apud particularum usum confusum fuisse. Diximus iam de ad et apud praepositionum discrimine. Lucilii aetate et Lucilio auctore ad et apud et intus et intro severe distingui coepta sunt. Ac vel Quintiliani temporibus ea saepius confusa esse apparet, cum dicat ille Instit. I, 5,50: Hoc amplius intro et intus loci adverbia, eo tamen intus et intro sum solacismi sunt.“ Ita ut notiones motus in locum et quietis in loco primitus non severe distinguebantur, item etiam adverbia, quibus hoc aut illud exprimebatur, in prisco scilicet sermone et diutissime in vulgari. Tantum igitur abest, ut illud, ut videbatur Handio, interpolationis signum sit, ut contra eo libri antiquitas et sermonis sinceritas comprobetur.

Item.

Creberrime hoc adverbium cum exstet in libro de re rustica, vix est quod de eo notetur. 100,9: Altera (brassica) est crispa, apiacon vocatur . . . Et item est tertia, quae lenis vocatur. Quo loco item prope ad significationem adverbii praeterea accedit. Conferas Pl. Trin. 898: Hanc me iussit Lesbonico suo gnato dare epistulam Et item hanc alteram suo amico Callicli iussit dare.

Maxime.

Quam brevissime huius adverbii usum exponam, cum nihil insolens praebeat:

1) Adiectivo additur, ut eo superlativus efficiatur: 11,14. 46,17. 79,15.

2) Aliorum adverbiorum vicem praestat, quorum notio in verbo continetur: 39,7: quam maxime conservato cf. 57,8. 17. 61,17.[1])

3) Coniungitur cum coniunctione quom 38,18. 39,1. cf. frg. 37,15. aut cum tum 97,5.

4) Idem fere valet ac praecique ut 19,1: eam maxime scrito cf. 20,3. 5. 38,10. 45,5.

Minime.

Handius contendit l. l. III p. 608 sqq., apud priscos scriptores vocem minime numquam primariam suam et propriam significationem habere, qua non tollitur res, sed maxime exigua indicatur, sed semper translatam, qua res plane negatur et reicitur. In libro de re rustica autem cum minime omnibus uno excepto locis cum adverbio quam coniunctum exstet, quin merum sit superlativum, non est dubium. Et vel uno illo loco, quem dixi, superlativi vis ei inest. Ibi enim est: 11,12: „At ex agricolis et viri fortissimi et milites strenuissimi gignuntur, maximeque pius quaestus stabilissimusque consequitur minimeque invidiosus minimeque male cogitantes sunt qui in eo studio occupati sunt.“ Non dubium mihi videtur esse, quin hic minime male cogitantes non valeat: qui plane non male cogitant, ut Handius arbitratur,[2]) sed: qui minus male cogitant quam qui alteri quaestui student. In fragmentis unico loco, quo exstat minime significat: plane non: 25,3: Rhodiensis superbos esse aiunt, id obiectantes, quod mihi et liberis meis minime velim. Apud Plautum longe creberrime in responsis occurrit ac quid in iis valeat notum est. Alibi aliquotiens superlativi vis et apud Plautum et apud Terentium negari non potest. Ut Pl. Capt. III, 4,107: Sed ubi is nunc est? Heg: Ubi ego minume atque

[1]) cf. Hand. l. l. III p. 592.
[2]) ibid. p. 611.

ipsus se volt maxume.[1]) Ter. Enn. 331: Illum liquet mihi deierare his mensibus Sex septem prorsum non vidisse proxumis, Nisi nunc cum minime vellem minimeque opus fuit. Publ. Syr. sent. 35. (Ribb. II.) Avidum esse oportet neminem, minime senem. Atque, si non essent re vera talia exempla, num probabile esset, illam primariam vocis significationem plane illa aetate evanuisse?

Pro minime quater (41,1. 57,14. 58,2. 89,7.) minimum offenditur. Interest tamen quomodo adhibeantur haec duo verba. Cum enim minime merum adverbium sit, minimum quodam modo accusativi munere (ut nihil, aequas partes, omne genus, multum cet.) fungitur: ut 41,1: veteres (vites) quam minimum castrato. 57,4: quam minimum (oleam) in terra et in tabulato esse oportet. 58,2: caveat quam minimum in torcularium et in cellam introeatur. 89,7: Vicinas aliasque mulieres quam minimum utatur.

Partim.

17,24: bubulcis opsequito partim ut libentius boves curent. 19,7: circum vias ulmos serito et partim populos. cf. Pl. Pers. III, 3,30: Quod partim faciunt argentarii. In fragmentis partim cum genetivo coniungitur: 23,7. 64,8.

Paulatim.

Cum huic adverbio ubique insit significatio allmählich, nach und nach, uno loco cum genetivo coniunctum videtur esse, ita ut valere debeat ein wenig: 60,17: aquae paulatim addito. Sed ego potius mensurae cuiusdam notam post aquae omissam esse arbitror.

---

[1]) Handius quidem dicit l. l. III p. 609: „falsa est interpretatio: wo ich am wenigsten gerne bin, er am liebsten ist. Dicit enim Hegio: ibi est Philocrates, ubi eum esse omnino non volo.“ Sed haec interpretatio non minus falsa est. Dicit potius Hegico: ibi est ubi ego omnium locorum minime eum esse volo, ille maxume volt. Cum enim voci maxime sine dubio superlativi vis insit, eam etiam vocabulum minime habere, apparet.

Porro.

99,13: uti possit porro libenter esse. Valet igitur porro: in futurum. cf. frg. 36,15: Me sollicitum atque exercitum habitum esse atque porro fore. Pl. Mil. IV, 4,8: vos modo porro ut occepistis, date operam adiutabilem. Frgm. 35,14. 15. 36,15 de loco est usurpatum.

Postremum, postremo.

Postremum bis (42,1. 52,8.) postremo semel (80,15.) sine significationis differentia usurpata sunt, ac quidem ambo valent: zuletzt. cf. fragm. 16,9: Haut eos eo postremum scribo, quin populi et boni et strenui sint.

Postea.

Memoratu indignis praetermissis, commemoro modo, quas coniunctiones post se habeat, ita ut pro postquam positum sit: postea cum 68,12. 69,6. postea ubi 98,7. 99,1. Mirum est quod numquam toto libro coniuntio postquam offenditur, quamquam eius ponendi saepissime erat occasio. Pro ea aut quae supra posui aut coniunctio ubi adhibita sunt. Uno loco invenitur post — quam: 57,15: post diem tertiam, quam lecta erit. In fragmentis postquam quater, creberrime apud Plautum invenitur.

Quam.

Liceat mihi praetermittere, quae memoratu indigna videantur ac de enuntiatis solum quae particulis quam — tam coniunguntur disserere.

57,8: quam citissime conficies, tam maxime expediet. 57,11: nam oleum quam diutissime in amurca et in fracibus erit, tam deterrimum erit. 57,16: quam acerbissima olea oleum facies, tam oleum optimum erit. 103,2: quam plurimum ederit, tam citissime sanus fiet ex morbo. cf. frg. 85,9: veternosus quam plurimum bibit, tam maxime sitit. Pl. Aul. 236:[1]) Quam ad probos propinquitate proxume

---

[1]) cf. Ussing ad Pl. Aul. v. 236.

te adiunxeris, Tam optumumst. Truc. 173: Quam primum expugnari potis est, tam optumum. Merc. 121: Quam restito, tam maxume res in periclo vortitur. Ter. Ad. 501: Quam vos facillime agitis, quam estis maxume Potentes dites fortunati nobiles, Tam maxime vos aequo animo aequa noscere oportet. Heaut 997: nam quam maxume huic vana haec suspicio Erit, tam facillume patris pacem in leges conficiet suas. Sall. Jug. 32,24: Quam quisque pessume fecit tam maxume tutus est.

Haec antiqua structura enuntiatorum comparativorum post Terenti aetatem prope plane oblitterata est.

Omissum est quam post amplius 51,17: 94,15, quibus locis verborum collocatio notabilis est: 51,17: binas gemmas ne amplius relinquito. 94,15: agnos XXX ne amplius promittat; deinde post minus: 49,1. 108,9. post plus: 30,1. 50,3. 66,5. 73,4. cf. frgm. 24,9. 48,4. 11,17. 24,10,[1])

Qui.

Qui ubique in libro de agricultura relativum adverbium instrumentali notione est, ut item crebro apud Plautum: Aul. 502: vehicla qui vehar. Rud. 1110: ubi sunt signa, qui parentis noscere haec possit suos.

Tum.

Semel tunc pro tum positum est: 62,3: focum temperato, tunc placentam inponito. cf. Most. III, 2,54: tunc chorda tibi tenditur.[2])

Usque.

Usque compositum est cum his particulis: usque ad, usque adeo, usque dum, usque donec. Bis solum exstat: 51,17. Vitem ex radicibus bene exfodito, usque radices bene persequito et caveto ne radices saucies. 96,6: eabus latera doliis intrinsecus usque bene perfricato. cf. Pl. Asin. 210. 211. Mil. II, 4,52. Amph. 679. 715. cet.

[1]) Ex Plauto attulit exempla Holtzius l. l. II. 203 sq.

[2]) Sed lectio dubia videtur esse.

3. De coniunctionibus.

Atque, et, que.

Inanem et vanam operam esse puto, si quis discrimina particularum et que atque statuere vellet, quod attinet ad significationem, cum eam apud omnes tres eandem esse mihi persuaserim. Attamen nonnulla usus discrimina manifesta sunt. Fronto ait epist. p. 36 (ed Naber.): „nam uni M. Porcio me dedicavi atque despondi atque delegavi. Hoc etiam ipsum atque unde putas? ex ipso furore.“ Catonem igitur particula atque creberrime usum fuisse apparet. Atque hoc orationum, originum ceterorum scriptorum reliquiis comprobatur, in quibus atque nonaginta uno, et viginti novem, que viginti tribus locis exstat. Quodsi autem in libro de r. r. atque rarissime (septies) prae et (quingenties vicies bis) et que (centies sexgies quater) occurrit, inde colligi potest, id quod etiam ex recentioribus auctoribus cognosci licet, atque orationis esse elatae, et sermonis ieiuni et vulgaris. Quibus praemissis de singulis particulis disseramus.

Atque. Forma ac semel (47,13) ante litteram m offenditur. Ter (34.18. 51,1. 63,11) manuscripta exemplaria omnia scripturam adque exhibent, quae iure a Keilio non in textum recepta est,[1]) cum ceteris locis ubique atque scriptum sit. In comparatione atque his locis offenditur: 51,1: Pomarium seminarium ad eundem modum atque oleagineum facito. 63,11. eodem modo conponito atque spiram. cf. Pl. Most. I, 3,63: Eundem animum oportet nunc mihi esse, gratum ut inpetravi, Atque olim, priusqum id extudi, quom illi subblandiebar. Ter. Heaut. 265 Nam et vitast et animus te erga idem ac fuit.[2])

[1]) cf. Corssen l. l. I p. 193.

[2]) Quodsi Fuhrmannus in disputatione cui inscribitur die Vergleichungssätze bei Plautus. Jahn. Ann. t. 97. a. 1868 p. 842 ait:

Et. Et saepissime non modo verba singula aut partes sententiae alicuius copulat sed etiam sententias ipsas ut 11,8. 12,5. 67,5 multisque aliis locis, id quod iure Handius l. l. II p. 487 sermonis antiquissimi nondum aptius compositi proprium esse iudicat.

Postremae tantum conpluriurn sententiae partium et non addi solere cum vulgaris sit regula, adversus eam nonnumquam apud Catonem id fieri cognosci licet ut 105,12: eo adito brassicae coliculos duos, betae coliculos duos cum radice sua, feliculae pullum, herbae mercurialis non multum, mitulorum II, piscem capitonem et scorpionem I, cochleas sex et lentis pugillum. 97,5: cum pluere incipiet familiam . . . exire oportet, incilia aperire aquam diducere in vias et segetem curare opertet uti fluat cf. 51,17. 15. 13,12. Ex Plauto Ussingius ad. Asin. v. 564 multa eiusmodi exempla affert ut Capt. 134: Ego qui tuo maerore maceror, macesco consenesco et tabesco miser. cf. Mil. 1126. Pseud. 44. 979. Truc. 477. Ter. Heaut. 526. 893. Lucr. IV, 229.

Dici et pro etiam, id quod apud Plautum haud raro fieri constat,[1]) Catonis libris vix conprobari potest. Quae enim laudat exempla Holtzius l. c. huc non pertinent, cum alterum falsa lectione nitatur, alterum a Holtzio falso sit explicatum. Est enim 99,7: postea salem addito et cumini paulum et pollinem polentae eodem addito et oleum. Hoc postremum et idem valere atque etiam

„In allen diesen Sätzen hat atque durchaus seine eigentliche ursprüngliche Bedeutung bewahrt, es verbindet einfach zwei Gegenstände deren Gleich- oder Anders- sein dann durch aeque, par, pariter, idem od. alius näher bezeichnet ist," id quidem quodammodo rectum est, atque ita explicari potest qui factum sit ut particula atque in eiusmodi enuntiatis adhiberetur. Tamen ex verborum collocatione et apud Catonem et apud Plautum apparet, atque illa aetate in eiusmodi sententiis non ut particuiam copulativam sed ut comparativam cogitatam esse.

[1]) cf. Holtze l. l. II p. 329. sq.

Holtzius censet. Esse posse concedo, necesse esse nego. Holtzius ante eodem punctum aut gravius quoddam distinctionis signum ponere debet, potest autem eodem vel potius, mea quidem sententia, meliore iure sic distingui: „postea salem addito et cumini paululum; et pollinem polentae eodem addito et oleum", ita ut ultimum et nectat vocabula pollinem et oleum. Item hoc loco res dubia esse potest: 61,11: focum ubi coquas calfacito bene et testum.

et — et saepissime, semel (15,9) et — et — et occurit: et rei et virtuti et gloriae erit. neque — et — (et) ter offenditur (68,15. 80,8. 11.) Polysyndeta quae vocantur crebro inveniuntur ut: 73,2: id vinum erit lene et suave et bono colore et bene odoratum. Neque operae pretium sit ea enumerare. Asyndeta item frequentissime reperiuntur et in enumerationibus et ita potissimum ut imperativi sine coniunctione alius post alium ponantur: ut 12,6: uti bonum caelum habeat, ne calamitosum siet, solo bono sua virtute valeat; permultisque aliis locis. Simplicitate hac sententiarum conexus antiquissimarum legum monemur, quod in iis quoque singula praecepta nulla copula iuncta alterum alterum excipiunt.[1])

Venia mihi sit, quod hic statim de ea re disputo, saepius per et in Catonis libro imparia conecti ut substantiva et enuntiata aut alia eius modi. Haec sunt quae dico: 14,17: ferramenta vetera, servum senem, servum morbosum et siquid aliut supersit vendat. 18,4: id ex fame et si inpluit fieri solet. 49,7: qua locus recte ferax erit, quae arida erunt et siquid ventus interfregerit, ea omnia eximito. 79,1: Ad tormina et si alvus non consistet et si taeniae et lumbrici molesti erunt. 65,19 ubi nubilabitur et noctu sub tecto ponito. aut 19,7: ulmos serito et partim populos uti frondem ovibus et bubus

1) cf. Schoell. Lex. duod. tab. p. 100.

habeas et materies siquo opus sit parata erit; ubi subito constructio mutata est itemque 28,19: uti dominus omnia ad opus praebeat . . . et uti sublinat locari oportet. Neglegentia quaedam aut potius simplicitas adhuc rudis et sentiendi et loquendi hoc apparet. Similia haec sunt: 57,9: plus olei efficiet et melius. 57,10: inde olei minus fiet et deterius. 68,15 lanae plus et meliorem habebunt. Neque, quod tam saepe in vetustissimis legibus offendimus,[1]) subiecto mutato certam personae significationem omitti, multum differt. Hoc quoque haud raro in libro de r. r. occurit ut 16,17: familiae male ne sit, ne algeat ne esuriat: (ubi in primo enuntiato subiectum est dominus, in postremo familia) opere bene exerceat, facilius malo et alieno prohibebit. vilicus si nolet male facere, non faciet (sc. familia.) 29,6: Calcem partiario coquendam qui dant, ita datur. 44,10: si uno praefurnio coques, lacunam intus magnam facito, uti satis siet ubi cinerem concipiat, ne foras sit educendus. 97,9: per segetem in frumentis aut in segete aut in fossis sicubi aqua constat aut aliquid aquae obstat, id emittere patifieri removerique oportet.

Que. Per copulam que item ut per et multae eiusdem sententiae partes conecti ut fiat polysyndeton exemplis multis explanare longum est. hoc unum attulisse sufficiet: 11,13: maximeque pius quaestus stabilissimusque consequitur minimeque invidiosus minimeque male cogitantes sunt qui in eo studio occupati sunt. Que postremo tantum membro addi, nihil habet insolens. Non primo enuntiati verbo affixum his locis offendi. 89,13: Kalendis, idibus, nonis, festus dies cum erit coronam in focum indat, per eosdemque dies lari familiari pro copia supplicet. 96,9: eas faecis inpleto sub prelumque subdito. Praepositioni numquam que apud Catonem

1) cf. Schoell. l. l. p. 73.

affixum est. Disseruit de hac re Ringeus in disputatione cui inscribitur: Zum Sprachgebrauch des Cäsar (Goett. 1880), qui p. 19 haec statuit: „que tritt nie an die Präpositionen ab, ob, sub, apud, selten an a, ad, dagegen immer an die zweisylbigen auf a, die zugleich adverbialen (auch inter, propter ausser bei Pron.) und an sine, trans; gewöhnlich an post, pro, per, de, cum, während bei ex und in Beides gleich häufig sich findet.“ De usu Plautino Ballas in dissertatione, cui inscribitur: Grammatica Plautina I De particulis copulativis. (Gryphsw 1866.) haec dicit: „Particula que si sententias aut sententiarum partes componit, apud Plautum semper primo nomini sententiae adhaeret et ne tum quidem secundo adplicata est, cum primum locum obtinet praepositio.“ Item in corporis inscriptionum lat. volumine primo numquam que secundo verbo affixum inveni. His ibi adplicata est praepositionibus: deque 196,5. 198,7. 41. 73. 202,1. 39. 2,2. exque: 206, 155. extraque: 200, 78. 81. inque 198,84. 206,44. proque 200,19. 542. Item res se habet apud Ennium, apud quem est Ann. 545 (ed Vahlen) perque fabam repunt ibid. 487: deque totondit agros laetos atque oppida cepit. et in tragicornm comicorumque fragmentis a Ribbeckio collectis: Pac. v. 109. (Ribb. I p. 90.) perque nostram unanimitatem egregiam. Illi igitur Catonis loci antiquissimi videntur esse, quibus que non praepositioni sed secundo verbo affixum est.

Etiam in libro de re rustica non exstat.

Neque.

Forma nec bis tantum (109,8) invenitur. Semel (80,3.) neque quater iteratur.

Praetera exstant: neque — et 68,15. 80,8. 11., neque — que 88,6. sed loco sine dubio interpolato, de quo dicam. Duplex negatio hoc loco offenditur: 58,3: vaso aheneo neque nucleis ad oleum ne utatur. Haud rarum hoc est apud priscos scriptores: cf. frgm. 23,4:

atque ego quidem arbitror, Rhodienses noluisse nos ita depugnare, uti depugnatum est, neque regem Persen vinci.[1]) Epist. de Bac. (C. J. L. I, 196,12.) neve pro magistratud neque virum neque mulierem quiquam fecise velit. Atque crebro apud Plautum ut Men. II, 3,20: neque id haud immerito tuo.[2]) In enuntiatio quod est 92,1: „omnes iuranto, . . . sese de fundo L. Manli neque alium quemquam suo dolo malo oleum neque oleam subripuisse" sic erat dicendum: omnes iuranto, sese . . . aut alium quemquam . . . oleum aut oleam non subripuisse. Negatio igitur ex suo loco sublata bis particulis aut addita est.

Denique de neque pro non posito mihi agendum est. 88,7: „Marspater si quid tibi in illisce suovitaurilibus lactentibus neque satisfactum est, te hisce suovitaurilibus piaculo." Item 88,9. Nec pro non ac potissimum quidem in compositionibus (necopinans, neglegens, negotium cet.) dici inter omnes constat. Festus ait pg. 162 (ed. Mueller.): „Nec coniunctionem, grammatici fere dicunt esse dissiunctivam ut nec legit nec scribit, cum si diligentius inspiciatur, ut fecit Sinnius Capito, intellegi possit, eam positam esse ab antiquis pro non ut et in XII est: „ast ei custos nec escit." item: si adorat furto, quod nec manifestum erit: et apud Plautum in Fasmate „nec recte si illi dixeris" et Turpilium in Demetrio „nec recte dici mihi, quod iam dudum audio." Atque invenitur crebro apud Plautum nec recte pro non recte.[3]) Handius ait l. l. IV p. 97, neque ad hunc usum (pro nec) non adhibitum esse nisi a recentioribus scriptoribus et exemplum laudat ex bello Alexandrino (75. 63.) At fallitur ille vir doctus. Nam legimus apud Lucretium V,

[1]) Ubi neque pro et positum est.

[2]) cf. Brix ad. h. v., qui plura affert exempla.

[3]) cf. Hand. l. l. IV, p. 97. Holtze l. l. II p. 323. Draeger l. l. II p 67. Corssen l. l. II, 881.

777: et neque opinantis tenebris obducere terras.[1]) Praeterea per se non est probabile illam priscam precationis formulam ita interpolatam esse.

Neve.

Neve per totum librum tum tantum usurpatum est, cum alterum enuntiatum, quo aliquid vetatur, praecedit ut 12,1: „Praedium quom parare cogitabis sic in animo habeto, uti ne cupide emas, neve opera tua parcas visere et ne satis habeas semel circumire." Quam severissime haec regula toto in libro observata est. Si enuntiatum praecedens non negatum est, pro neve ponitur: et uti ne 50,7: locum quam optimum . . . et quam simillimum genus terrae eae ubi semina positurus eris, et uti ne nimis longe semina ex seminario ferantur. Numquam neque pro neve ponitur. Et ne legimus in exemplo supra posito pro neve, quod non novum sequitur praeceptum, sed praecedens tantum explicatur. Neve-neve, quod alibi non frequenter ita invenitur ut alterum alterum excipiat, his habemus locis: 18,1: Terram ceriosam cave ne ares, neve plostrum neve pecus inpellas. 44,4: Omnino caveto nequam materiam doles neu caedas neu tangas, si potes nisi siccum neu gelidam neu rorulentam. 44,15. Ignem caveto ne intermittas quin semper siet, neve noctu neve ullo tempore intermittatur caveto. 89,7: Vicinas aliasque mulieres quam minimum utatur neve domum neve ad sese recipiat.

De particulis aut et vel, quorum usus nihil praebeat memoratu dignum taceamus, et tractemus usum particulae:

Sive.

Apud Plautum plerumque non sive — sive, sed si — sive reperitur.[2]) Tamen sive — sive non plane ei ab-

[1]) cf. Lachmann ad. h. v.

[2]) cf. Ritschl Prol. ad Trin. p. 84. 324.

iudicandum videtur esse.[1]) In nostro libro sive — sive bis invenitur: 86,12: sive ego sive quis iussu meo fecerit. 87,8: quota ex parte sive circumagi sive circumferenda censeas. cf. frgm. 62,3: siquis quid alter ab altero peterent, si ambo pares essent, sive boni sive mali essent, quod duo res gessissent, uti testes non interessent.

53,2: qualum incidito ex ima parte perpetuum sive calix erit conquassato. Hic sive plane idem est quod vel si. cf. Ter. Andr. 190: Dehinc postulo sive aequomst te oro Dave[2]).

Pro sive — sive 86,10 exstat si — si: si deus si dea es. Quocum conferas: C. I. L. I, 632: sei deo sei deivae. (ex Sullae aetate) ibid. 1114: sei deus sei dea[3]).

Forma seu numquam invenitur apud Catonem.

De coniunctionibus adversativis nil est, quod de iis notandum sit, nisi quod tam raro in libro de agricultura occurrunt. autem semel (11,11.), at bis (11,12. 13,9.) sed septies (15, 5. 16,3. 69,6. 7. 99,9. 100,5. 101,5.) verum sexies (11,12. 99,4. 101. 2. 102,9. 103,1. 106,2.) offenduntur. Idem de coniunctionibus causalibus dicendum est, quarum sola particula nam occurrit ac quidem decies bis. Enim, igitur, ergo, itaque numquam inveniuntur. Ex harum particularum paucitate optime simplicitas conexus sententiarum cognosci potest. Enuntiata singula plerumque aut omnino non aut particula et inter sese copulata sunt.

---

1) cf. C. F. W. Mueller. Ueber den Gebrauch von sive. (Berl. 1871.) p. 6: Ob Plautus neben si — sive auch schon sive — sive gekannt habe, lässt sich vielleicht unter sehr misslichen Voraussetzungen bezweifeln, jedenfalls aber nicht so bestimmt in Abrede stellen, als es geschehen ist.“ cf. Amph. 1048 sqq: ubi quemque hominem aspexero, Sive ancillam sive servom, si uxorem si adulterum, Si patrem, si avom videbo, eum obtruncabo in aedibus.

2) Haec particulae sive notio a Muellero, qui Catonis locum omisit, praeterea p. 9. non nisi ex recentioribus poetis laudatur.

3) cf. Mueller l. l. p. 7.

Haec hactenus de iis coniunctionibus, quae in enuntiato primario locum obtinent, sequitur ut de iis, quae in secundariis enuntiatis ponuntur, disseramus. Atque liceat mihi simul de enuntiatis ipsis in quibus usurpantur deque eorum temporibus et modis agere.

Initium igitur capiamus ab

a) enuntiatis temporalibus.

In iis usurpantur hae coniunctiones: quom, ubi, antequam, priusquam, dum, donec.

Quom.

Primum mihi de huius particulae scriptura agendum est. Keilius plerisque locis scripsit cum, his tantum quom: 11,9. 12,1. 35,17. 37,1. (bis) 38,9. 10. 18. 39,1.

Manuscripta illis locis haec praebent. 11,9: quom V. quō f. quomodo c. cum A. quum b.

12,1: quom parare P. conparare A, ubi qū ante con superscripsit A[2]. quum parare b. cumparare c. cum cumparare f. cum comparare v.

35,17: quom P. b. f. cum A. c. cum v.

37,1: quom V. c. quo sed o in rasura A. quum b. quomodo f.

37,1: quom P. com A. quum R. cum v.

38,9: quum pones P. b. cum pones A. c. qui impones f. v.

38,18: quam maxime V A R. qua maxime Jucundus.

39,11: comaxime A. cum maxime V c f. quum maxime b. tum maxime Jucundus. Codex A igitur scripturam cum littera q nullo paene loco habet. Habet autem saepius com pro cum. Keilius igitur iterum ante omnia P secutus est, et scripturam quom in textu posuit, ubicunque codices vel minimam eius scripturae ansam praebent. Num recte fecerit, si deliberaverimus ceteris tot locis constanter cum scriptum esse, aut ob quaestionis levitatem in medio relinquemus aut potius negabimus.

In libro de agricultura quom, paucis locis exceptis,

semper cum indicatico coniungitur, cum ubique meram temporis vel condicionis notionem habeat. Coniunctivus his exstat locis: 38,9: caveto, quom ventus siet aut imber, effodias aut feras. 56,6: agrum frumentarium cum ares, bene et tempestive ares. 60,12: tollito et condito, ne quaeras, cum opus siet. Quibus omnibus locis coniunctivus non pendet e coniunctione cum, sed liber est, quippe cum potentialis notio ei insit. Coniunctivi in enuntiatis quae sunt 13,8 et 14,6 explicatione non egent, cum ibi oratio obliqua sit. In ceterorum Porci scriptorum reliquiis post coniunctionem cum temporalem coniunctivus mihi nonnumquam positus videtur esse. Ut enim de ceteris locis taceam, quibus cum Luebberto consentio, qui in egregia illa dissertatione, cui inscripsit „Die Syntax von quom und die Entwickelung der relativen Tempora im älteren Latein.“ (Bresl. 1870) de coniunctione quom disseruit, qui coniunctivus in hac enuntiatione explicari potest, quae est frgm. 64,1: Cum essem in provincia legatus quamplures ad praetores et consules vinum honorarium dabant.? Nonne hic coniunctivum e cum pendere apparet? Luebbertus l. l. p. 147 liberum cum coniuntivum esse dicit. Quae notio ei coniunctivo inesset, equidem plane nescio. Item coniunctivus post cum 55,8 positus videtur esse, ubi est: „Cumque Hannibal terram laceraret atque vexaret“ sed certe iudicari in tali fragmento nequit.

Quam brevissime nunc de temporibus in his enuntiatis disseram. Ut res celeriter cognoscatur hunc conspectum aut schema ut nos dicimus pono:

Positum est:

in enuntiato secundario:	in enuntiato primario:
1. Ind. Praes. 29,11. 30,12. 47,12. 54,9. 97,4. 108,7. (6 locis).	1. Ind. Praes. 29,11. 30,2. 47,12. 54,9. 97,4. 2. Imper. 108,7.
2. Ind. Imperf. 11,9.	1. Ind. Imperf. 11,9.
3. Ind. Fut. 12,1. 14. 18,9. 29,12. 32,15. 35,17. 37,1. 38,6. 10. 18. 39,1. 16. 40,1. 3. 41,14. 44,4. 18. 45,12. 46,13. 49,12. 15. 17. 52,1. 53,7. 54, 8. 9. 55,17. 57,18. 61,9. 65,20. 67,15. 69,6. 73,15. 76,1. 15. 77,14. 81,2. 85,1. 89,13. 94,3. 97, 5. 8. 107,9. (43.)	1. Imper. 12,1. 14. 18,9. 32,15. 37,1. 38,6. 10. 18. 39,1. 16. 41,14 (bis). 44,18. 45,12. 46,13. 49,12. 15. 17. 52,1. 55,17. 57,18. 61,9. 65,20. 67,15. 69,6. 73,15. 76,1. 15. 77,14. 107,9 (30.) 2. Coni. Praes. iuss. 35,17. 53,7. 89,13. (3). 3. oportet 54,8. 54,9. 85,1. 97,5. 8. (5). 4. Ind. Fut. = Imper. 81,2. (1). 5. Ind. Praes. 29,12. 94,3. (2.) 6. Ind. Fut. 40, 1. 3. (2.)
4. Ind. Fut II: 37,1. 45,2. 59,17. 69,6. 68,12. 69,5. 80,8. 84,9. 97,9. 108,5. 6. 15. (12.)	1. Imper. 37,1. 45,2. 69,6. 68,12. 108,5. 6. 15. 2. Coni. Praes. iuss. 59,17. 97,9. 3. Ind. Fut. 69,5. 80,8. 84,9.

Multo saepissime futurum primum in enuntiato secundario occurrit, neque hoc mirum est, cum plurimae sententiae praeceptum contineant. Quam severe autem et constanter per totum librum post omnes coniunctiones futurum tempus positum sit, si in enuntiato secundario imperativus aut coniunctivus iussivus aut oportet aut alia eiusmodi exstant et ex iis quos modo attuli et quos afferam numeris cognosci licet. Et quam facile haec una saepissime littera mutata corrumpi potuerunt! Neque umquam sine ulla probabili causa pro futuro tempore praesens offenditur ut 108,7: Post annos VIII aut novum, cum iam est vetus, digerito. Hic enim verba „cum iam est vetus“ non sunt enuntiatum secundarium ad enuntiatum primarium digerito, sed ad praecedentia spectant iisque

parenthetice ut ita dicam adiecta sunt, ita ut vertendum sit: nach acht oder neun Jahren (dann nämlich ist der Spargel alt) setze ihn um.

Deinde ex indice illo cognoscas, formam horum enuntiatorum per totum librum ubique paene eandem esse. Nam iterum iterumque monendum est, quam aequabilis libri sermo sit. Imperfectum quod est 11,8: „et virum bonum quam laudabant, ita laudabant bonum agricolam bonumque colonum“ ideo positum esse apparet, ut iteratio aut consuetudo exprimeretur.

Ubi. Indicem praepono:

Enuntiatum primarium:	Enuntiatum secundarium:
1. Imperativ.: 13,17. 21,5. 31,17. 20. 32,4. 33,17. 36,1. 9. 13. 37,11. 39,2. 13. 41,7. 10. 44,19. 45,12. 46,2. 47,1. 50,16. 17. 18. 52,1. 3. 6. 20. 53,5. 18. 54,1. 6. 15. 55,8. 57,15. 58,19. 59,6. 8. 60,10. 11. 20. 61,6. 7. 9. 10. 11. 16. 62,5. 63,8. 64,2 8. 10. 65,10. 20. 66,11. 67,6. 68,7. 69,3. 71,5 (bis.). 72,7. 73,5. 15. 17. 74, 2. 9. 10. 75,8. 18. 77,13. 78,3. 7. 12. 13. 79,5. 8. 80,2 (bis.). 81,12. 82,5. 83,4. 84,10. 85,8. 93,22 (bis.). 95,4. 12. 98, 2. 6. 7. 15. 99,5. 103,5. 7. 18. 104,9. 105,1. 9. 106,10. 107,7. 13. 109,1. 2. (100.)	1. Futur. II: 31,17. 20. 32,4. 33,17. 36,9. 13. 37,11. 41,7. 10. 44,19. 46,2. 47,1. 52,1. 3. 6. 20. 53,18. 54,15. 55,8. 58,19. 60,10. 11. 20. 61,7. 10. 11. 16. 62,5. 63,8. 64,2. 8. 10. 66,11. 67,6. 69,3. 71,5. 72,7. 73,15. 17. 74,2. 9. 10. 75,18. 77,13. 78,3. 7. 12. 13. 80,2. (bis.) 83,4. 84,10. 85,8. 93,22. 95,4. 12. 98,2. 99,5. 103,5. 7. 18. 105,1. 106,10. 107,7. 13. 109,1. 2. 2 Futur. I: 21,5. 36,1. 39,2. 13. 45,12. 50,16. 17. 18. 53,5. 54,1. 6. 57,15. 59,6. 8. 61,6. 9. 65,10. 20. 68,7. 71,5. 73,5. 79,5. 8. 81,12. 82,5. 93,22. 98,6, 7. 15. 104,9. 3. Indic. Perf. 13,17. 4. Indic. Praes. 75,8. 105,9.

2. Coni. iuss.: 13,9. 7. 14,6. 54,18. 65,2. 68,5. 76,12. 99,1. (8.)	1. Futur. II: 54,18. 65,2. 76,12. 2. Futur. I: 68,5. 991. 3. Ind. Perf.: 13,7. 9. 14,6.
3. oportet: 13,13. 15,5. 53,9. 57,3. 88,3. 96,3. (6.)	1. Fut. I: 57,3. 88,3. 2. Fut. II: 53,9. 96,3. 3. Ind. Perf.: 13,13. 15,5. 4. Ind. Praes.: 29,16.
4. Ind. fut. I.: 29,16. 41,3. 45,5. 80,7. 102,7. (5.)	1. Ind. Fut. I: 41,3. 2. Fut. II: 80,7. 45,5. 3. Ind. praes.: 102,7.
5. Ind. Präs.: 29,10. 50,1. 95,4.	1. Ind. Praes.: 50,1. 95,4. 2. Fut. II: 29,10.

Coniunctivus his locis exstat: 15,11: ubi olea lecta siet, oleum fiat continuo. 96,2: ubi semen satum siet, stramentis operiri (oportet.) Iterum coniunctivo potentialis vis inest.

Semper paene ut videmus in enuntiato primario exstat Imperativus aut coniunctivus iussivus aut oportet, et in secundario tempora futura posita sunt. Videamus primum de ceteris temporibus. Indicativum praesentis his habes locis: 75,8: secundum vindemiam ubi vites ablaqueantur. 105,9: ubi iam coctum incipit esse, eo addito brassicae coliculos duos. In priore enuntiato idem est, quod antea animadvertimus in sententia quae est 108,7: post annos VIII aut novem, cum iam est vetus, digerito: „ubi vites ablaqueantur“ definit accuratius notionem „secundum vindemiam“. Quod autem alterum exemplum (105,9) attinet, ilico apparet, locutionem ubi coctum incipit esse idem valere quod futurum exactum: so bald es ins Kochen gekommen sein wird.“ Item praesens explicandum est 29,16: „eae ubi primum incipiunt hiascere tam legi oportet,“ cum verba incipiunt hiascere futuri

primi vim habeant. Aliter res se habet 102,7, ubi est: „ubi ex multo cibo alvus non it, pro portione brassica si uteris, id ut te moneo, nihil istorum usu veniet. Hic coniunctioni ubi non temporalis sed mera condicionalis significatio (wenn einmal) inest, ac de his enuntiatis infra, cum de coniunctione si agemus, dicturi sumus.

Restat ut de iis agamus sententiis, in quibus perfectum coniunctionem ubi sequitur, cum in enuntiato primario imperativus aut coni. iuss. aut oportet posita sint. 13,7: Pater familias ubi ad villam venit, ubi larem familiarem salutavit, fundum eodem die si potest circumeat. 13,9: ubi cognovit, quo modo fundus . . . cultus siet. . . . vilicum vocet. 13,17: ubi eas aliasque causas multas dixit, ad rationem operum operarumque vilicum revoca. 14,6: ubi ea aequo animo cognita sunt, quae reliqua opera sint curare uti perficiantur. 15,5: ubi aetas accessit ad annos XXXVI tum aedificare oportet.

In eodem omnia illa ultimo excepto exempla capite inveniuntur, ac quidem in eo, in quo de patris familiae officiis agitur. In hoc autem orationem concitatiorem esse cuilibet conspicuum esse oportet. Animadvertas imperativum revoca, cum tam rari praesentis imperativi qui vocantur in libro nostro inveniantur, ut infra videbimus. Oratio in praesens quasi tempus translata est. Haec est causa cur in enuntiatis secundariis non tempus futurum usurpatum sit. Item ultimum quoque exemplum (15,5.) explicandum est.

Antequam, priusquam.

1) cum indicativo.

a) antequam:

Enuntiatum prim.	enuntiatum secund.
1. coni. iuss. 108,1.	1. Fut. II. 108,1.

b) priusquam:

1. imperat. aut oportet 60,8. 83,10. 13.	1. Fut. I: 60,8. 82,10. 13.

2) cum coniunctivo:

a) antequam:

1. Imper. aut coni. iuss. 52,5. 53,7. 74,14. 74,16. 76,10	1. coni. Praes: 52,5. 53,7 74,14. 16. 76,10.

b) priusquam:

1. Imper. aut coni. iuss. 53,6. 82,11. 89,12. 101,2.	1. Coni. Praes: 53,6. 82,11. 89,12. 101,2.

Ambarum igitur particularum constructio plane eadem est. Non opus est de coniunctivo praesentis quidquam disserere. Raro autem futura tempora has coniunctiones sequuntur. Sed conferas Pl. Pseud. 524: Priusquam istam pugnam pugnabo, ego etiam prius Dabo aliam pugnam. ibid. 880: Quaeso hercle, priusquam quoiquam convivae dabis, Gustato tute prius et discipulis dato[1]). Atque quam proxime futuri primi notio absit a coniunctivo praesentis, quis est qui nesciat?

Dum.

Duas habet haec coniunctio notiones aut temporalem aut finalem. Si ei illa inest (39,4. (bis) 87,3. 91,11.) indicativus ac quidem indicativus futuri sequitur, ut: 39,4: ovibus frondem viridem usque dum habebis praebeto; si haec aut coniunctivus praesentis ut vulgo (62,5. 68,2. 70,7. 72,7. 98,8. 106,8) ut 68,2: agitato crebro, usque adeo dum fiat tam crassum quam mel; aut indicativus futuri primi aut secundi (35,4. 66,13. 54,16. 73,8. 74,7.) ut: 35,4: temperato usque dum recte temperabitur. 66,13: depsitoque dum poterit facere turundas. 54,16: panis P. V. (dato) usque adeo dum ficos esse coeperint. 73,8:

1) cf. Lange. De temporal. sent. syntaxi p. 31.

saepius facito, usque dum odorem malum dempseris 74,7: in idem dolium (indito) usque dum inpleveris.

„Significatione „bis“ particula dum perraro sociatur cum temporibus futuris: haec enim est propria provincia particulae donec.“[1]) Hoc unum ex Plauto laudat exemplum Langius l. l.: Pers. 52: usque ero domi, dum excoxero lenoni malam rem magnam.

Donec.

Attigimus iam strictim huius particulae usum, et invenimus eam ubique uno excepto loco cum futuris temporibus coniunctam, cum futuro primo: 49,3. 71,15. 99,6: cum futuro exacto 58,15. 62,1. 65,3. 15. 19. 92,19. 94,8. 108,4. Coniunctivus praesentis exstat 54,3: usque ocinum dato, donec arescat. Holtzius II, 184 hoc unum huius structurae exemplum sibi suppetere fatetur, sed Langius l. l. p. 31 haec praeterea attulit: R. Rud. 811: Ni istunc istis invitassitis, Usque adeo donec qua domum abeat, nesciat peristis ambo. Ribb. Com. p. 124 usque donicum effigatur. Lucr. IV, 995: expergefactique secuntur inania saepe Cervorum simulacra, fugae quasi dedita cernant, Donec discussis redeant erroribus ad se.

Pro donec ter forma donicum occurrit (92,19. 94,9. 108,4.) quam a Catone esse usurpatam testatur Charisius II p. 197. (ed. Keil.) cum dicit: Donicum pro donec ita Livius . . . sed et Cato. Eadem forma, quae frequens est apud Plautum, exstat C. I. L. I, 198,65.

Liceat mihi his usum locutionis dum ne subiungere, quae est 17,17. 40,17. 52,8. Significationem habet wofern nur nicht et cum coniunctivo praesentis tantum coniungitur. cf. Trin. 979: Dum ille ne sis, quem ego esse nolo; sis mea causa qui lubet. ep. de Bac. (C. I. L. I, 196,6): utei senatus noster decerneret, dum ne minus senatorbus C adesent; aliis creberrime locis.

1) cf. Lange l. l. p. 29.

b) De enuntiatis causalibus.

Iterum cognoscas quam simplex sententiarum structura in libro de r. r. sit, quod tam raro inveniuntur coniunctionis causales in eo: quia semel (19,13.), quod quinquies (43,1 (bis.) 81,3. 88,9. 97,12) quoniam et quom causali significatione numquam occurrunt.

Quod coniunctionem apud Plautum pronominis potius munere quam coniunctionis fungi docuit Zimmermann Gebrauch der Conj. quod und quia im älteren Latein. Posen 1880. Et meram paene accusativi notionem quod apud Catonem in his exemplis habet: 43,1: cicer quod vellitur et quod salsum est, eo malum est. 81,1: Juppiter dapalis, quod tibi fieri oportet in domo familia mea culignam vini, eius rei ergo macte hac illace dape pollucenda esto. 88,9: Marspater quod tibi illuc porco neque satisfactum est, te hoc porco piaculo. 97,12. De brassica quod concoquit. Animadvertas quaeso, bis (43.1. 81,1) demonstrativum pronomem, ad quod refertur quod, adiectum esse, ita ut exemplum quod est 44,1 vertendum sit: Die Erbse ist dadurch schädlich, in wie fern sie etc.

c) De enuntiatis condicionalibus.

Priusquam de temporibus modisque agam, liceat mihi, particularum „nisi“ et „si non“ differentia non explanata, quoniam de ea satis constat, de elliptico qui dicitur usu coniunctionis nisi disserere. Prius exempla affero:

45,3: cum ignem subdideris, siqua flamma exibit nisi per orbem summum luto oblinito. 51,14: Nuces pineas ad eundem modum nisi tamquam alium serito. 62,8: ita uti placenta fit, eadem omnia facito, nisi alio modo fingito 62,19: encytum ad eundem modum facito uti globos nisi calicem pertusum cavum habeat. 63,9: Spaeritam sic facito ita uti spiram nisi sic fingito.

Nisi his locis plane in vicem adverbii cessit, ita ut significationem habeat „excepto“ et aut „ausser“ aut „nur“ vertendum sit. Qui usus non est insolitus apud Plautum

cf. Curc. 51: Tam a me pudicast quasi soror mea sit, nisi Sist osculando quidpiam inpudicior.[1]) Mil. 376: Unde exit haec? / Unde nisi domo?/ Domo?/ Me viden?/ Te video; nisi mirumst, quo modo haec hinc huc transire potuit.[2])

Deinde iterum indicem pono:

Enunt. prim.:	Enunt. secund.:
1. Ind. Praes: 11,4. 13,3. 15,17. 18,4. (42,20.) (73,7.) 79,10. 86,8. 88,7. 101,16. 102,10. 103,10. (56,9.) (84,4.)	1. Conj. praes: 11,4. (42,20.) 79,10. 11,4. 2. Ind. Praes: 13,3. 18,4. 86,8. 3. Ind. Fut. I: 15,17. 101,16. 102,10. (56,9.) (84,4.) 4. Fut. II.: (73,7.) 103,10. 5. Ind. Perf.: 88,7.
2. Imperativ.	1. Fut. I.: 18,7. 21,11. 22,7. 8. 30,4. 31,7. 32,1. 7. 33,4. 34,17. 19. 35,10. 36,2. 5. 6. 15. 37,6. 38,3. 16. 41,1. 3. 5. 43,11. 44,10. 20. 45,8. 47,17. 48,17. 18. 49,16. 50,2. 10. 13. 17. 53,14. 54,5. 57,10. 17. 19. 59,11. 60,20. 67,8. 68,14. 17. 69,8. 14. 15. 72,10. 15. 17. 73,9. 13. 74,3. (bis.) 75,7. 13. 76,14. 77,8. 81,6. 85,12. 88,6. 91,14. 92,22. 95,16. 97,13. 15.

1) Nisi si quod etiam in libro de r. r. semel exstat (86,8.) crebro apud Plautum occurrit.

2) cf. praeterea Rotheimer: De enuntiatis condicionalibus Plautinis p. 10. Hand. I. l. IV. p. 222 sqq. Holtze II p. 109. Haase ad Reisig. adn. 477. Fleckeisen Jahn. Ann. t. 61. p. 24. Ritschl. Prol. ad. Trin. p. 180.

2. Imperativ.	98,4. 99,2. 10. 11. 101,12. 15. 103,7. 9. 104,10. 15. (bis.) 19. 105,2. 8. 71,18. 104,13. 45,3. 95,15. 19,8. 2. Fut. II.: 37,11. 57,14. 60,3. 69,20. 70,3. 73,7. 87,3. 89,5. 91,16. 92,16. 95,18. 49,8. 90,16. 92,20. 21. 3. Coniug. periphr: 69,10. 4. Ind. praes: 13,14. 44,4. (85,13.) 103,16. 101,7. 5. Coni. Praes: (29,1.) 59,7. 87,1. 92,6. 6. Coni. Imperf: 102,13. 7. Ind. Perf: 88,8.
3. Coni. iuss.	1. Fut. I.: 12,7. (26,9.) 91,7. 93,1. 2. 99,9. 94,9. 98,15. 104,4. 40,11. 2. Fut. II.: 17,2. 94,14. 16,16. 91,6. 94,5. 91,6. 3. Coni. Praes.: 14,15. 28,6. 14,12. 15,1. 4. Ind. Praes.: 13,8.
3. oportet.	1. Fut. I.: 15,17. 27,12. 48,15. 49,2. 2. Coni. praes.: 15,6. 19. 3. Ind. praes.: 18,17. 105,6.
4. Fut. I.	1. Ind. Fut. I.: 13,2. 15,15. 16,3. 10. 11. 17,1. 19. 37,12. 44,13. 51,11. 15. 53,11. 56,4. 58,4. 64,5. 65,16. 67,12. 69,4. 72,15.

4. Fut. I.

73,11. 102,8. 103,17. 105,16. 108,3. 101,20. 103,14.
2. Fut. II.: 16,5. 6. 7. 17,18. 18,2. 6. 19,4. 32,2. 45,15. 49,18. 59,9. 67,1. 15. 68,14. 69,3. 11. 90,8. 15. 18. 91,7. 19. 93,6. 12. 15. 16. 18. 71,1. 92,5. 94,6.
3. Coni. Praes.: 19,8. 68,6.
4. Ind. Praes.: 102,3. 15. 101,9. 106,5.

Frequentissima ea sunt enuntiata in quorum apodosi aut imperativus aut coniunctivus iussivus aut oportet aut futurum primum, in protasi aut futurum primum aut secundum exstant; ut: 18,7: frumenta si deerunt, frondem iligneam legito. 37,11: si bene deacinata erunt dolia, oblinito. 16,5: si ita feceris, pabulum boves non eicient. 13,2: si me rogabis, sic dicam. Videamus igitur, cur nonnumquam pro futuro tempore praesens sit positum. Exempla haec sunt: 13,3: si ei opus non apparet, dicit vilicus sedulo se fecisse... ubi eas aliasque causas dixit ad rationem operum operarumque vilicum revoca." Dixi iam de hoc enuntiato cum coniunctionis ubi usum tractarem (p. 64.): oratio est concitatior et velut in praesens tempus relata, ut igitur post ubi pro futuro exacto perfectum ita post si pro futuro primo praesens positum est.[1])

Deinde 44,4: „omnino caveto nequam materiem doles neu caedas neu tangas si potes, nisi siccam neu gelidam neu rorulentam." „Si potes" prorsus adverbii munere funguntur („wo möglich") certoque igitur tempore carent.

[1]) Omisi 13,7: „pater familias ubi ad villam venit, ubi larem familiarem salutavit, fundum eodem die si potest circumeat." Plane adem de hoc enuntiato dicenda sunt.

Tum: 101,7: et luxatum siquod est, bis die aqua calida foveto. 103,16: si caput aut cervices dolent eo lotio caldo lavito. 102,3: et si bilis atra est, et si lienes turgent et si cor dolet et si iecur aut pulmones aut praecordia, uno verbo omnia sana faciet. 102,15: vel siquis est seniosus hac eadem curatione sanum facies. 101,9: et siquid contusum est, erumpet. 106,5: Luxum siquod est hac cantione sanum fiet. Huc denique pertinet:[1]) ubi ex multo cibo alvus non it, pro portione brassica si uteris, id ut te moneo, nihil istorum usu veniet. — Iam cognoveris omnia illa exempla eiusdem esse generis et si cum eis hoc exempli gratia comparaveris exemplum (37,11): „si bene deacinata erunt dolia, oblinito", quid causae sit, cur hic futurum exactum illic praesens positum sit intelleges. Cum enim in illis particulae si mera inest vis condicionalis (wenn einmal), in hoc notio eius magis paene temporalis quam condicionalis est. In illis igitur mera condicio ponitur, quae certo omni tempore caret.

Ac si deliberaverimus, quot sententiae sint in libro de agricultura, in quarum enuntiato primario aut imperativus aut coniunctivus iussivus aut futurum exstant, atque in omnibus earum enuntiatis secundariis post coniunctiones quom, ubi, si numquam nisi certa de causa praesens tempus pro futuro positum esse, ex hac re sola sine ulla dubitatione efficiemus, sermonem, quem in libro de agricultura deprehendimus, non mutatum et non corruptum esse.

Sequitur ut de coniunctivo praesentis in enuntiato secundario sententiarum condicionalium videamus.

14,12: si quid desit in annum uti paretur.

14,15: vendat oleum si pretium habeat.

15,1: boves vetulos, armenta delicula... servum senem, servum morbosum et siquid aliut supersit vendat.

[1]) cf. p. 64.

15,6: ubi aetas accessit ad annos XXXVI, tum aedificare oportet, si agrum consitum habeas.

15,19: trapetos bonos privos inpares esse oportet, si orbes contriti sient, ut conmutare possis.

19,8: circum coronas et circum vias ulmos serito et partim populos, ut frondem ovibus et bubus habeas, ut materies siquo opus sit, parata erit.

28,6: si de caelo villa tacta siet de ea re verba uti fiant.

47,9: insuper lingua bubula obtegito, si pluat ne aqua in librum permanet.

68,6: nam si in tecto coquas, cum bitumen et sulpur additum est, excandescet.

79,10: idem vinum taenias pergurgat et lumbricos, si sic concinnes.

In omnibus his exemplis coniunctivus potentialem vim habet ac quidem ubique aliquid sumitur, quod esse potest. cf. frgm. 83,5: Nam vita humana prope uti ferrum est. si exerceas conteritur; si non exerceas tamen rubigo interficit. item homines exercendo videmus conteri. si nihil exerceas, inertia atque torpedo plus detrimenti facit quam exercitio.[1])

Sed coniunctivus praesentis tum quoque usurpatur, cum aliquid fingitur, quod numquam fieri posse nemo est qui nesciat: 11,4: „est interdum praestare mercaturis rem quaerere, nisi tam periculosum siet et item fenerari, si tam honestum siet." Conferas: Pl. Trino 1186: Nam si pro peccatis centum ducat uxores, parumst. Epid. 730: Invitus do hanc veniam tibi, nisi necessitate cogar.[2])

Si autem scriptor exprimere vult, rem non fieri aut esse posse, coniunctivus imperfecti ponitur: 102,13: nullus sumptus est, et si sumptus esset, tamen valetudinis causa experire.

[1]) Eiusmodi enuntiata Plautina collegit Rotheimer l. l. p. 43 sqq.
[2]) cf. Rotheimer. l. l. p. 44.

d) De enuntiatis finalibus et consecutivis.

Ut.

Forma uti multo frequentior est in Catonis libro quam ut.[1]) Item in primo volumine corporis inscr. lat. uti centum novem, ut duodecim locis exstat.

Supersedeo locos et verba enumerare, quibus aut post quae ut finale positum sit. Haec tantum affero: Verbo velle ut adiungitur his locis:

57,5: leguli volunt uti olea caduca quam plurima sit, quo plus legatur; factores uti in tabulato diu sit.

69,9: Fici aridae si voles uti integrae sint. cf. Bacch. I, 1,44: Ut ille te videat volo.[2])

Verbum studere ut sequitur:

18,8: stercilinum magnum stude ut habeas cf. Pl. Poen. 574: Lenonem uti periurum perdas, id studes.

Ut ne his locis offendimus: 12,1: praedium quom parare cogitabis sic in animo habeto uti ne cupide emas.

34,7: Haec omnia eius rei causa fiunt, uti ne cupa in lapide conteratur.

40,15: Vitem bene nodatam deligato recte flexuosa uti ne sit.

50,7: Locum quam optimum et apertissimum et stercorosissimum poteris et quam simillimum genus terrae eae ubi semina positurus eris, et uti ne nimis longe semina ex seminario ferantur, eum locum bipalio vertito.

Ut ne igitur et finalem (34,7. 40,15.) et consecutivam (12,1. 50,7) notionem habere potest. Item ut ne creberrime occurrit apud Plautum et Terentium.[3])

[1]) Adnoto numquam formam ut usurpatam esse, si habet haec coniunctio significationem wie, uno excepto loco (11,12).
[2]) cf. Holtze l. l. II p. 161. Draeger l. l. II, p, 255.
[3]) cf. Draeger l. l. II p. 291. Brix ad Mil. gl. v. 149. Dziatzko ad Adelph. 626. Paetzolt Beitr. zur histor. Syntax. (Waldendurg 1875) p. 11. Reisig-Haase l. l. § 322.

Priusquam ad usum coniunctionis ne exponendum transeamus, agendum est de particulis ut aut ne omissis. Permulta eiusmodi exempla exstant in libro Catonis: 12,2: caveto alienam disciplinam temere contemnas. 58,2: caveat quam minimum in torcularium et in cellam introeatur. 17,5: consideret quae dominus imperaverit fiant. 27,12: faber haec faciat oportet. 36,15: sinitoque cum musto distabescat. 37,2: facitoque studeas bene percoctum siccumque legere. cf. 37,10 (bis.). 38,9. 39,12. 40,5. 42,1. 44,13. 48,2. 4. 20. 50,12. 59,8. 60,4. 5. 61,19. 66,16. 67,1. 4. 68,8. 13. 69,16. 72,19. 74,1. 76,9. 80,1. 89,6. 108,12. Deinde 49,2: si voles vinea cito crescat cf. 50,13. 53,12: pascantur satius erit. 59,8: tepeat satis est. 105,17: licebit bibas 108,4: usque licebit vellas, donicum in semen videris ire. 60,13: dato bubus bibant omnibus cf. 99,10. 103,7. 8. 9. 89,5: curato faciat. Eam structuram saepe apud Plautum inveniri inter omnes constat.[1]) Neque tamen dici potest, omissas esse coniunctiones ut aut ne. Illa immo sine dubio antiquior est structura. Notum enim est, et nos quoque in interrogationibus obliquis tractandis cognoscemus, in prisco sermone quae postea enuntiata syntactice ita ut alterum ab altero pendeat ponebantur, paratactice ita ut sui quodque iuris sit ponerentur. Dicebatur igitur pro: dato bubus ut bibant gieb den Ochsen, damit sie trinken: dato bubus bibant gieb den Ochsen; sie mögen trinken. Quamquam enim dubium est, num fuerit tempus, quo nulla nisi simplicia enuntiata essent, illa quam supra posui lex nullo modo negari potest et multis aliis comprobatur.[2])

Ne. Hoc unum adnoto, ne semel in enuntiato consecutivo usurpatum esse 15,7: ita aedifices, ne villa fundum quaerat. Haud raro id occurrit apud Plautum ut Capt. III,5,79: Atque hunc me velle dicite ita curarier, Ne qui deterius huic sit quam quoi pessumest.[1])

Quo. Quo non nisi ante comparativum usurpatum est ita ut idem valeat quod ut eo; ut 17,24: bubulcis opsequito partim, quo libentius boves curent

Quin. Uno tantum loco offenditur 44,16: ignem caveto ne intermittas quin semper siet, neve noctu neve ullo tempore intermittatur.

C. De modis et temporibus.

De temporum et modorum usu quamquam iam plurima quae memoratu digna sunt in coniunctionum usu tractando diximus, nonnulla tamen addenda videntur. Primum agam

1. De imperativo.

Usque ad hunc diem a viris doctis disceptatur, num imperativus futuri qui dicitur et praesentis inter se differant et quid inter eos intersit. Multum videlicet cum absit ut ego hic de ea re uberius disseram, considerandum tamen est, ecquid de ea re e Catonis libro cognosci possit. In quo libro cum longe creberrimae sint formae imperativi futuri, rarissimae eae imperativi praesentis occurrunt. Has ego notavi: revoca 13,8. stude 18,9. conserva 18,9. degere 44,6. conpone 44,7. experire 102,14. sume 105,7. 14. adde 105,14. bibe 105,15. interquiesce 105,15. prende 106,5. diffinde 106,6. incipe 106,7. praecide 107,1. alliga 107,2. prehende 107,1. Praeterea fac: 35,15. 37,10. 39,12. 108,12. face: 18,5. 40,5. 44,7[2]). cave 18,1. 42,1. 44,3. 17.

Inde igitur primum colligendum est, in talibus praeceptis imperativum futuri usurpari solitum esse. Si autem

---

Page 74 footnotes:

[1]) cf. Holtze l. l. II. p. 166 sqq. Brix ad Trin. v. 591.

[2]) cf. ante omnia Paetzolt l. l., Luebbert l. Becker De syntaxi interrogationum obliquarum. Studemund Studien I. (Berl. 1873), Jordan Krit. Beitr. p. 337.

Page 75 footnotes:

[1]) Plura exempla ex Plauto conposuit Brix ad Mil. 149. cf. praeterea Haase ad Reisig. adn. 493.

[2]) „facito" 163 locis exstat.

discesseris ab imperativo revoca, qui est 13,8 et de quo p. 109 dixi, ambae imperativi formae sine omni significationis differentia usurpatae sunt. Conferas 105,7: sume tibi ollam, addito eo aquae sextarios. 18,9: stercus sedulo conserva: cum exportabis, purgato et comminuito.

Offensioni est, plurimas imperativi praesentis formas in fine libri deprehendi, id quod equidem explicare nequeo et casui tribuendum videtur esse.

Quaeritur quae persona imperativi intellegenda sit utrum altera an tertia. Cum autem et ex imperativis praesentis et ex coniunctivi iussivi forma et ex iis verborum formis, quae alium modum induunt alteram personam intellegendam esse appareat, tamen non raro tertia persona posita est, ubi altera desideratur. Ut: 64,37: Graneam triticeam sic facito. selibram tritici puri in mortarium purum indat, lavet bene corticemque deterat bene, eluatque bene. Atque item in sequentibus versibus. Tum antem in eadem pagina in versu 18 secunda iterum persona repente exstat: ea muries erit, vel carnem vel caseos vel salsamenta quo condas. Aut 76,11: crebro aquam mutet. deinde . . . exprimat . . . et coiciat et oleum addat . . . . feniculum condat. si una admiscere voles, cito utito. in orculam calcato. manibus siccis, cum uti voles, sumito. Aut 60,19: casei P. II bene disterat in mortario. ubi bene distriverit . . . si voles tenerius esse . . . eodem indito. cf: 63,3. sqq. cp. 136. 137. 144. 150.

Fieri non potest, quin hoc quoque neglegentiae illi de qua iam saepius diximus tribuatur.

Pro imperativo haec posita sunt:

1) Coniunctivi praesentis activi persona singularis altera ut 15,16: ita aedifices, ne villa fundum quaerat. Item: 42,18. (bis.) 56,6. 72,5. (bis.) 6. 96,1.

2) Eiusdem temporis activi et passivi persona singularis tertia ut 12,7: solo bono sua virtute valeat (sc. praedium).

Item: 12,8 (ter.) 9. 10. 12. 13,8. 11. (bis.) 14,15. (bis.) 16. 15,2. 11. 16,14. 15. (bis.) 17. 17,3. 5. (bis.) 6. 7. 8. 9. 11. 12. 17. (bis.) 20. 21. 22,3. 28,18. 29,3. 4. 34,10. 49,14. (bis.) 15. 58,1. 2. 3. 7. (bis.) 13. 15. (bis.) 16. 17. 18. 60,5. 6. (bis.) 19. 65,1 (quater.) 2. (bis.) 3. 6. 66,3. (ter.) 4. (bis.) 73,16. 76,11. 12. (bis.) 13. 14. 79,14. (ter.) 80,6. 84,8. 85,11. 13. 86,2. 3. 89,2. 11. 12. 13. 14. 15. 90,1. 4. 93,2. 22. 94,6. 10. 14. 17. (bis.) 18. 19. 96,12. 98,13. (bis.) 14. (bis.) 15. 16. (bis.) 99,2. 3. 4. 9. 10. 103,11. 104,11. (ter.) 108,9. 18. Passivi ut 18,3: pecori et bubus diligenter substernatur. Item: 35,17. 80,5. 6.

3) Eiusdem temporis activi et passivi persona pluralis tertia ut 14,11: quae satis accipiunda sint, satis accipiantur. Item: 14,13. 16,14. 18,3. 17,5. 35,15. 16. (ter.) 17. (bis.) 18 (bis.) 39,9. 40,7. 54,18. 58,11. 12. 13. 76,11 (bis.) 80,11. 84,6. 86,6. 89,4. (bis.) 91,7. 106,7.

Saepius his coniunctivis iussivis coniunctio ut addita est, ut 12,5: et uti eo introeas et circumspicias; aut tertiae singularis personae 12,6: „uti bonum caelum habeat.“ Item: 12,12. 14,12. 14. 15. 27,2. 28,19. 32,9. 34,10. 14. 44,20. 88,3. 89,16. 90,3. Aut denique tertiae personae pluralis ut 14,12: quae supersint uti veneant. Item 14,7. 13. 28,7. 40,7. 8. 60,1. 89,3. Antiquioribus tantum temporibus sic ut coniunctio addita videtur esse[1]) neque vel apud Plautum et Terentium crebro invenitur. Holtzius l. l. II p. 161 ex Plauto hoc unum laudat exemplum: Capt. I, 2,6: Sed uti adserventur magna diligentia. Crebro autem in legibus hoc exstat ut: C. I. L. I, 198,26. (Lex repetund.) Iudicum patronorumque nomina utei scripta in taboleis habeantur. ibid. 35: Praetor utei interroget.

Deinde pro imperativo usurpata sunt:

1) Indicativus futuri ut 66,11: id ubi excluserit

[1]) cf. Kuehner Latein. Gr. II p. 141. § 47,6.

depsito bene, oleo manum unguito, primum pusillum postea magis depset, oleo tangito depsitoque dum poterit facere turundas. Eodem modo futurum intellegendum esse existimo: 28,3. 4. 5. 9. 11. 12. 70,9. 81,2. et similiter in legibus de olea legunda et faciunda etc. 90,9. 13. 16. 91,3. 93,6. 10. 11. 12. 15. 94,16. Idem apud Plautum saepe offenditur ut Curc. 728: Tu miles apud me cenabis, hodie fient nuptiae.[1])

2) Imperativi notionem praesenti hoc loco inesse negari nequit: 94,2: cetero pabulo Kal. Martiis decedito. bubus domitis binis, cantherio uni, cum emptor pascet domino pascere recipitur.[2])

3) Denique infinitivus quoque uno loco pro imperativo adhibitus videtur esse. Dico 99,17: eo addito oleum bene et salem et cumini paululum, infervefacito paulisper. postea inde iusculum frigidum sorbere et ipsam brassicam esse, uti quam primum excoquatur. Sed dicam postea de hoc loco, cum de infinitivo agam. cf. p. 86

Transeundum nobis nunc est ad imperativi usum cum ad eum negatio accedit. Eam ubique ne esse vix memoratu dignum sit. Nam 18,12: „eam condito non peraridam.“ 42,19: „ablaqueato prius non alte.“ 99,16: „Postea aquam defundito non ommen“ non imperativos ipsos negatos esse apparet.

Quaerendum est qui modi ponantur:

1) Imperativus futuri cum negatione his tantum ocis offenditur: 41,6: quod granum capiat ne serito. 90,7: oleam ne stringito neve verberato. 91,1: De fundo ligna et oleum ne deportato. 91,18: oleum ne tangito. 92,4: socium nequem habeto. 92,19: nequid eroum de fundo deportato.

Praeter primum omnia quae attuli exempla in iis

1) cf. Loch. Der Gebrauch des Imperativ bei Plautus. (Memel 1870.)

2) Animadvertas futurum pascet.

capitibus sunt, quae leges illas continent planeque legum sermonem exhibent. Relinquitur igitur unus ille locus.[1]) Neque tamen dubitari debet, quin enuntiatum illud sic a Catone scriptum sit — id quod eo facilius fieri possit, quia conexum sententiae turbant illa verba et non nisi parenthetice intellegi possunt — quod etiam a Plinio (XVII, 196) ita Catonis nomine laudatur.

Iis exceptis locis ubique pro negato imperativo coniunctivus positus est ac quidem:

2) Coniunctivi praesentis persona altera ut 44,1: nisi intermestri lunaque dimidiata ne tangas materiem. Item 56,6.

3) Coniunctivi perfecti persona singularis altera ut: 16,9 familiam ne siveris peccare. Item: 43,3. 49,17. 67,13. 75,5. 105,14. 108,1.

4) Coniunctivi praesentis persona tertia et singularis aut pluralis ut 12,6: ne calamitosum siet (sc. praedium) Item: 12,16. 17. 17,2. 4. (bis) 5. 8. 13. 14. 15. 16. 40,8 46,5. 50,3. 58,4. 7. 13. 64,4. (66,5.) 89,6. 9. 94,15. 104,4 91,4. 89,8.

5) Semel pro imperativo tertia persona coniunctivi perfecti usurpata est: 17,10 „satui semen, cibaria, far, vinum, oleum mutuum dederit nemini. Conferas quaeso Poen. 973: Aliqua fortuna fuerit adiutrix tibi.

Crebro pro simplici imperativo posita sunt facito, fac, face, videto, cave, caveto, nolito cum sequenti ut aut ne aut mero coniunctivo aut infinitivo.

Hic liceat mihi afferre hos duos locos: 17,3: nequid emisse velit insciente domino neuquid dominum celavisse velit. 17,15: haruspicem, augurem, hariolum, Chaldaeum nequem consuluisse velit; ubi infinitivus perfecti est notabilis. Conferas ep. de Bac. (C. I. L. I, 196,4): nei quis

1) In eiusmodi enuntiatis ut 49,1: „et propagines ne minus P. II S quoquo versus facito“ non est imperativus negatus, cf. 51,16. 61,13. 63,3.

eorum Bacanal habuise velet. ibid. II: neve pecuniam eorum comoinem habuise velet neve magistratum; aliisque locis.

Cognovimus igitur etiam in imperativi usu summam aequabilitatem. Cuius autem momenti id sit, recte aestimabis, si in omnibus fere enuntiatis imperativum exstare deliberaveris.

2. De interrogationibus obliquis.

Egregie de horum enuntiatorum syntaxi apud priscos scriptores latinos disseruit Eduardus Beckerus[1]), atque ostendit creberrime in enuntiato secundario in prisco sermone indicativum poni ita ut illud paratactice appositum esse appareat.

Apud Catonem plerumque in iis coniunctivus usurpatur ut 11,7. 12,4. 15, 13,1. 9. 11. sqq. 14,8 sqq. 17,18. 18,15. 22.10. 24,7. 33,1, 39,7. 42,15. 43,4. 5. 46,5. 56,9. 64,4. 72,1. 10. 73,9. 76,10. 85,10. 93,20 (bis.) 95,1. 96,11. 100,1. 99,1. 100,2. 107,6. frgm. 16,16. 19,14. 22,5. 23,7. 35,1. 36,14. 37,3. 18. 55,9. 77,1. Quibus praetermissis ea tantum affero, quae indicativum exhibent: 19,16: Vineam quo in agro conseri oportet sic observato.

26,5: In torcularium quae opus sunt.

26,12: In torcularium in usu quod opus est.

88,11: Vilici officia quae sunt.

Animadvertas quaeso omnes has sententias inscriptionum locum tenere et in omnibus primo excepto enuntiatum primarium deesse. Vix igitur eae interrogationes obliquae dici possunt. Ut est 27,5: in cellam oleariam haec opus sunt, ita eodem iure relative dici potuit: 26,5 in torcularium quae opus sunt (sc. haec sunt). Minus facile sententia quae est 26,5 explicari potest. Beckerus l. l. p. 313 id esse enuntiatum relativum dicit, quod

1) Eduard Becker. De syntaxi interrogationum obliquarum apud prisos scriptores latinos. Studemund Studien. I p. 115 sqq. Berl. 1873.

propterea interrogationum obliquarum speciem praebeat, quod nomen substantivum per attractionem ex enuntiato demonstrativo in relativum receptum sit ut Pl. Men. 685 Video quam rem agis = video rem quam agis. Quid autem sibi vellet: agrum in quo vineam conseri oportet sic observato? Non ager est observandus in quo vineam conseri oportet sed observandum est in quo agro vineam conseri oporteat. Est igitur haec vera interrogatio obliqua, neque dubitari debet quin recentior quidam scriptor in ea coniunctivum positurus fuerit. A Catone duo enuntiata paratactice posita sunt et utrumque membrum per se intellegitur: Auf welchem Felde man die Weinrebe pflanzen muss; halte folgende Regel fest. Sed in promptu est in inscriptione ita multo facilius cogitari potuisse, quam alibi. Itaque etiam 42,20 secundum codicem A in textu ponendum esse cenceo: Quae mala in segete sunt. cum Keilius codices V. b secutus sint scripserit. Maiore iure mea quidem sententia hoc loco dubitari debet: 76,7: „lentim quomodo servari oporteat" ubi codices haec praebent: oporteat P. c. f. oportet A oportebit b. Keilius ut ubique P secutus est.

Conferas denique frgm. 23,13: „Cogitate, quanto nos inter nos privatim cautius facimus" ubi indicativus eo facile explicatur, quod enuntiatum secundarium minus interrogationis quam exclamationis munere fungitur.

3. De enuntiatis relativis.

Cum num verum sit, quod Paetzoltus in disputatione de enuntiatis relativis, cui inscripsit „Beiträge zur historischen Syntax der lateinischen Sprache". (Waldenburg 1875) p. 4. asseveravit, relativas scilicet sententias primitus fuisse meras interrogationes, ita ut duo illa membra enuntiati paratactice sese haberent, diiudicare non audeam, negari non potest, affirmationem eam valde comprobari eo quod in antiquissimo sermone formae pronominis inter-

rogativi relative usurpantur.[1]) Item apud Catonem legimus 59,3: orbes, fibulas, vectes, suculas, fiscinas, corbulas, quala, scalas, patibula, omnia quis usus erit in suo quidque loco reponito. 91,16: homines eos dato, qui placebunt aut custodi aut quis eam oleam emerit. 93,7: dominus vino quid volet faciet (idem 93,18).

Antiquissima enuntiati relativi forma ea erat ut demonstravit Paetzolt l. l., quae est 85,14: „qua ex parte politori pars est eam partem in pistrinum politor," quod ut ait vir ille doctus p. 4: „die Relativa wie die correspondirenden Demonstrativa in der ältesten Zeit nicht sowohl Pronomina als vielmehr adjectivische Zeichen der Beziehung zweier Sätze aufeinander waren." Ex hac structura attractio illa quae vulgo falso videlicet vocatur explicari debet, cum paullatim in enuntiato demonstrativo substantivum omitteretur et in relativo solo poneretur. Permulta huius priscae structurae exempla nobis apud Catonem servata sunt:

19,13: qui ager frigidior et macrior erit, ibi oleam licinianam seri oportet.

19,16: qui locus vino optimus dicetur esse et ostentus soli, aminnium minusculum serito.

20,1: qui locus crassior erit aut nebulosior, ibi aminnius maius serito.

42,3: in creta et uligine et rubrica et qui ager aquosus erit semen adoreum potissimum serito.

42,10: hordeum qui locus novus erit aut qui restibilis fieri poterit, serito.

42,11: trimestrem quo in loco sementim maturam facere non potueris et qui locus restibilis crassitudine fieri poterit, seri oportet.

71,3: qui ager longe a mari aberit, ibi vinum graecum sic facito.

[1]) cf. Schoell Lex duod. tab. Lips. 1866 p. 75 sq. Neue l. l. II p. 158.

29,12: quae materies semen non habet, cum glubebit tum tempestiva est (cf. 40,2.)

46,12: quem ramum insiturus eris, praecidito.

11,6: nunc ut ad rem redeam quod promisi institutum principium hoc erit.

47,2: capito tibi surculum quod genus inserere voles (cf. 48,1. 9. 11.)

52,10: ab arbore abs terra pulli qui nascentur eos in terram deprimito. (cf. 81,10.)

42,4: quae loca sicca et non herbosa erunt . . . ibi triticum serito.

Huc pertinent haec quoque enuntiata:

18,15: ubi ager crassus et laetus est sine arboribus, eum agrum frumentarium esse oportet.

41,16: ubi quisque locus frigidissimus aquosissimusque erit, ibi primum serito. Pronomen demonstrativum haud raro adiectum esse animadvertas, quod primigeniae illius structurae vestigium esse apparet. Deinde iterum cognosi licet, in libro de r. r. plures prisci sermonis dictiones proprias inesse quam in ceterorum scriptorum fragmentis, quod in iis nullum exstat illius structurae exemplum.

Sequitur ut de modis qui sint in enuntiatis relativis disseramus. Frequentissime coniunctivus in iis occurrit, cui aut potentialem aut finalem aut consecutivam vim inesse cognoscemus. Huc eas quoque sententias referendas esse quae adverbiis qua, quo, qui, ubi, unde inchoentur manifestum est.

Vis potentialis coniunctivo in his enuntiatis inest: 14,16: frumentum quod supersit vendat. 86,4: et pabulum quod bubus satis siet, qui illic sient. 14,7: quae reliqua opera sint curare uti perficiantur. 14,11: quae satis accipiunda sient, satis accipiantur: reliqua quae sint uti conpareant. 14,12: quae supersint uti veneant: quae opus sint locato locentur.

Omnibus his locis pronomen relativum indefiniti fere pronominis notionem habet ut exempli gratia: frumentum quod supersit vendat idem fere valeat atque: frumentum siquod supersit vendat.[1])

Praeter coniunctivum in eiusmodi sententiis futurum etiam inveniri, vix dictu opus sit. Sed dixerit quis, coniunctivum illum non tam potentialem notionem habere quam ob coniunctivum qui est in enuntiato primario positum esse. At mihi quidem hoc non probabile videtur. Nam rarissime mutatur enuntiati secundarii modus nulla alia causa accedente in prisco sermone ob modum enuntiati primarii. Conferas 12,18: scito idem agrum quod hominem, quamvis quaestuosus siet, si sumptuosus erit, relinqui non multum. 46,6: cogitato si nihil fiet, nihilo minus sumptum futurum; aut quae Paetzolt affert exempla p. 14: Pl. Pers. 373: Dicat quod quisque volt. Cas 299: Ut quod mandavi curet.

Nonnumquam notio potentialis et consecutiva tam prope altera ad alteram accedunt ut vix dirimi possint, ut: 29,8 dominus lapidem ligna ad fornacem quod opus siet praebet. 58,14: (et oleum) in lucernam quod opus siet (det). 75,3: et amphoras in sole ponito, ubi herba non siet. 104,7: quos diffidas sanos facere facies. 38,15: partem dimidiam in segetem, ubi pabulum seras, invehito. 41,5: quod granum capiat ne serito.

Semel primum futurum tum coniunctivus praesentis positus est: 95,6: per ver serito in loco ubi terra tenerrima erit, quam pullam vocant, ubi aqua propter siet.

Quam arte autem notiones consecutiva et finalis inter se cognatae sint notum est.[2]) Longum est omnia exempla enarrare. Vim finalem his locis deprehendimus: 34,4: supra imbrices extrinsecus cupam pertundito, qua

[1]) cf. Paezolt. l. l. p. 13 sq.
[2]) cf. Reisig — Haase l. l. § 313.

clavus eat, qui orbem cludat. Item: 34,11. 89,9. 33,13. 16. 36,1. 50,20. 51,9. 20,10. 33,8. 34,8. Deinde in omnibus enuntiatis, quae adverbio quî inchoantur coniunctivus finali notione exstat: 24,4: pilum fabarium I, farrarium I, seminarium I, quî nucleos succernat I. Item 19,14. 20,6. 24,14. 26,9. 34,3. 37,10. 46,2. 70,11. Eodem modo post adverbium ubi: 24,11: dolia ubi vinaceos condat XX. Item: 26,8. 27,1. 28,1. 30,16. 31,3. 8. 44,11. 45,1. 61,9. 11. 80,5; post unde: 17,11: duas aut tres familias habeat, unde utenda roget et quibus det cf. 19,12. 28,6. 39,10. 11. 41,15. 42,13. 45,9. 55,13. 61,4. 95,17; post qua: 34,4: supra imbrices extrinsecus cupam pertundito, qua clavus eat. cf. 34,6. 73,17. 74,9. 17. 95,11. 108,9: post quo: 23,12: dolia quo vinaceos condat. cf. 34,1. 49,17. 58,5. 65,17.

Contra consecutiva potius notio his locis apparet: 28,7: huic operi pretium ab domino bono, qui bene praebeat quae opus sunt et nummos fide bona solvat. cf. 22,14. 23,1. 25,2. 3. 26,12. 42,9. 86,4. 92,7. 93,10. 98,12. 107,6. 24,10.

Si relativum positum est pro demonstrativo cum copula „et" coniunctivus etiam iussivam notionem habere potest ut: 37,6: id bene iubeto oblini, quod des bubus. 37,7: erit lora familiae quod bibat. 53,8: et quod optimum faenum erit seorsum condito . . . quod edant boves. 71,8: calamum in pila contundito, quod siet sextarium unum. 61,20: postea in tabula pura, quae pateat P. I.

Neque me continere possum, quin iterum, quamquam ad id quod demonstraturus sum comprobandum id non iam opus esse spero, adnotem quanta sit sermonis aequabilitas per totum librum. Quam facile eiusmodi enuntiata mutari potuerunt? Et ut taceam de modo nonne tale enuntiatum quale est: „qui ager frigidior et macrior erit ibi oleam licinianam seri oportet" plane alienum est ab recentioris aevi sermone? Ullo modo

cogitari potest ea, cum totius libri sermo mutaretur, non esse mutata?

4. De infinitivo.

In inscriptionibus infinitivum offendimus pro coniunctione cum verbo finito, ut 73,4: Odorem deteriorem demere vino = quo modo odorem deteriorem vino demas cf. 21,7: sorba in sapa condere vel siccare. 76,1: Vinum ad alvum movendam concinnare. 77,15. Vinum concinnare si lotium difficilius transibit. 79,15: Habitationem delutare. Sufficiebat videlicet, ut quam brevissime ea quae potissimum tractaturus erat in capite in principio notarentur, verbum solum cum obiecto suo ponere. Item infinitivum explicandam esse censeo: 99,17: eo addito oleum bene et salem et cumini paululum, infervefacito paulisper. postea inde iusculum frigidum sorbere et ipsam brassicam esse, uti quam primum excoquatur.

Non enim dici posse arbitror, infinitivum hic, ut saepissime in lingua graeca et item germana, imperativi locum tenere. Id in lingua latina numquam factum videtur esse.[1]) Sed posita est simpliciter notio verbi, quae infinitivo exprimitur, pro verbo finito ut in inscriptionibus. Item enim ut cum de re aliqua agitur accusativum absolute quasi poni vidimus[2]) item cum de actione aliqua infinitivus usurpatur.

Crebro apud Catonem plane nominis substantivi munere fungitur, ut: „36,1: Quid est agrum bene colere? bene arare. Quid secundum? arare. quid tertium? stercorare." Ubi subiectum est bene colere, praedicatum arare et stercorare. Subiecti vices obtinet his quoque locis: 56,6: cetera cultura est multum serere et diligenter eximere semina et per tempus radices quam plurima cum terra ferre. 11,4: Est interdum praestare mercaturis rem quaerere.

[1]) cf. Golenski. De infinitivi apud poetas latinos usu. p. 53.
[2]) cf. p. 8 sqq.

Huc pertinet hic quoque locus: 14,6: ubi ea cognita aequo animo sunt quae reliqua opera sint curare uti perficiantur, rationes putare argentariam, frumentariam, pabuli causa quae parata sint. Quod vertendum est: Wenn dieses mit gerechtem Sinne durchgesehen ist, müssen die Dinge, welche zu besorgen noch übrig sind, vollbracht werden: die Nachrechnung der Rechnungen, der Geld-, Getreide-, Futter-Rechnung. Pro puncto igitur post perficiantur colon ponendum esso censeo.

Eodem modo in ceterorum Catonis scriptorum fragmentis infinitivus saepe usurpatur: 9,12: Pleraque Gallia duas res industriosissime persequitur, rem militarem et argute loqui. 33,1: Scio ego atque iam pridem cognovi et intellexi atque arbitror rem publicam curare industrie summum periculum esse. 44,4: Aliud est properare, aliud festinare.

Denique commemoro infinitivi usum post verbum dare: dato bibere 66,6. 70,8 cf. Pl. Pers. 821: bibere da usque plenis cantharis. Truc. IV, 2,26. Ter. Andr. 484; post reliquus: quae reliqua opera sint curare uti perficiantur 14,7; post cogitare (bedenken): aedificare diu cogitare oportet; conserere cogitare non oportet sed facere oportet 15,4; post curare: uti cures lustrare 87,8.

5. De gerundio.

Id quod iam diu asseveraverunt viri docti,[1]) minime gerundio primitus passivam et necessitatis notiones inesse, optime exemplis quae in libro de agricultura sunt comprobatur.

Participii enim praesentis passivi vices his locis obtinet: 82,14. Jane pater te hac strue ommovenda bonas

[1]) cf. Kvicala. Syntaktische Unters. II. Gerundium u. Gerundivum. Wiener Stud. 1879 p. 218 sqq. Leo Adrian Ueber das latein. Partic. Präs. Passivi. (Pgr. Gross Glogau 1875) Corssen Krit. Beitr. p. 125 sqq. Krause De gerundii et gerundivi apud antiquissimos Romanorum scriptorum usu. (Halle 1875.)

preces precor. cf. 82,14. 83,1. 7. 86,13 et 86,15: harumce rerum ergo macte hoc porco piaculo immolando esto. cf. 81,5. 87,17. 88,4. Verbi deinde solam actionem ita ut pro dativo infinitivi positum sit hoc loco denotat: 19,5. si in loco crasso aut caldo severis, hostus nequam erit et ferundo arbor peribit. Item pro substantivo verbali his locis exstat: 91,6: si non ita iuraverit, pro ea olea legenda et faciunda nemo dabit. frgm. 78,6: Ex dolore, ex febri, ex siti, ex medicamentis bibendis, ex cataplasmatis, ex alvo lavando.

De pronominibus.

Prinsquam disputationem nostram finiamus, liceat nonnulla de pronominibus adnotare, quae adhuc praetermisi.

aliquis. 98,2: comesto aliqua V folia; nihil aliud valere potest nisi: iss etwa 5 Blätter. Neque raro pronomen aliquis hac significatione apud Plautum, Varronem, Cieceronem (in epistulis). Caesarem, Ovidium[1]) usurpatur. Conferas Pl. Men. V, 5,47: Helleborum potabis faxo hosce aliquos viginti dies. Pseud. I, 3,878[2]) Cato frgm. 18,4: censeo, inquit, si rem servare vis, faciundum ut quadringentos aliquos milites ad verrucam illam ire iubeas.

quidquid in prisco sermone saepius pro quidque usurpatur.[3]) Item in libro de r. r: 20,7. in eodem fundo suum quidquid conseri oportet. 37,9: patibula, fibulas iubeto suo quidquid loco condi. 51,2: suum quidquid genus talearum serito. cf. frgm. 44,4: qui unum quidquid mature transigit is properat. 44,6: ego unum quidquid quod adortus sum transigebam. Pl. Trin. 881. Si unum

[1]) cf. Haase ad Reisig. adn. 354.

[2]) cf. Brix ad. Men. 950.

[3]) cf. Neue l. l. II p. 179. sq. Madvig Cic. de fin. V, 9,24.

quidquid singillatim et placide percontabere. Ter. Ad. 590: Nam iam abibo atque unum quidquid, quod quidem erit bellissimum, Carpam. C. I. L. I, 200,32 (L. agr.): id, utei quicquid quoieique ante h(ance) l(egem) rog(atam) licuit, ita ei habere oeti frui possidere defendere post h(ance) l(egem) rogatam liceto.

Suus. Tam libere hoc pronomen usurpatum est, ut saepe vix pronomen reflexivum sed potius adiectivum significatione gehörig, geeignet, passend sit: 20,7. in eodem fundo suum quidquid conseri oportet. 38,6: cupressos cum seres, bene cum radicibus eximito cum terra sua quam plurima. 41,13: Salictum suo tempore caedito. 51,2: suum quidquid genus talearum serito. 81,8: Iovi caste profanato sua contagione. cf. frgm. 77,1: Dicam de stis Graecis suo loco. Tum non raro spectat suus ad verbum quod est in enuntiato primario, cum ipsum in enuntiato secundario exstet: 40,1: (materies) tum erit tempestiva, cum semen suum maturum erit. 43,11 vitis si macra erit, sarmenta sua concidito minute.[1]) 104, 13: neque ullus morbus veniet nisi sua culpa.[2])

Si igitur quaeritur, quid ex sermone quem in libro de agricultura deprehendimus examinato ad quaestionem nostram de genuina libri forma diiudicandam cognitum sit, id demonstrasse mihi videor, sermonem et optime in illam aetatem convenire et per totum librum eundem esse.

[1]) Hic suus exstat in enuntiato primario.

[2]) cf. De pronominis suus usu Haase ad Reisig. adn, 383. 384.

Theses.

1. Eurip. Iphig. Aul. v. 66 legendum est: *εὐεπὴς γὰρ ὤν* pro *εὖ δέ πως γέρων.*

2. Plin. hist. nat. XVIII. cp. 24 (195) scribendum esse: „etenim omnium definita est generatio.“ ex Theophr. *φυτῶν ἱστ.* VIII, 11, 5. (ed. Schneider.): *Βίος γάρ ἐστιν ἑκάστοις ὡρισμένος εἰς γονήν* apparet.

3. Plin. hist. nat. XVIII. cp. 13 (126) „rapis‘ legendum est pro „ab his“.

Vita.

Otto Conradus Schoendoerffer natus sum a. d. XV Kal. Nov. 1860 in Borussiae orientalis oppidulo, cui nomen est Labiau, patre Friderico matre Emilia de gente Steffeniana, quos adhuc vivos colo. A septimo aetatis anno in ludo litterario patriae elementis imbutus postea una cum nonnullis aequalibus a magistro domestico instituebar. Vere anni 1874 a patre Regimontium missus ibi in gymnasium Cniphoviense receptus sum, ex quo sex annis post maturitatis testimonium adeptus abii. Tum civis academiae Regimontanae factus cum per quattuor prima semestria ibidem studiis philologicis me dedissem, Bonnam me contuli, unde post sex menses Regimontium reverti, ut studia mea absolverem.

Scholas frequentavi professorum illustrissimorum Regimonti:

Baumgart, Bezzenberger, Dehio, Friedlaender, Hirschfeld, Jordan, Ludwich, Ruehl, Schade, Thiele, Walter;

Bonnae:

Buecheler, Kekulé, Usener;

quibus omnibus gratias quam maximas habeo.

Per tria semestria proseminarii, per quattuor seminarii philologici Regimontani sodalis fui. Itemque interfui exercitationibus archaeologicis.